
CONSTITUTIONES CANONICORUM REGULARIUM ORDINIS SANCTI AUGUSTINI...

Canonici regolari : Congregazione del SS.mo Salvatore Lateranense



CONSTITVTIONES CANONICORVM REGVLARIVM

Ordinis Sancti Augustini

Congregationis Saluatoris LATERANENSIS

Ex Tipographia Reu. Cam. Apost.

HORVM AVSPICIIS.

Bibliot. Coll. Rom. Soc. Jesu

F.V.

DE CANONICI ORDINIS NOBILITATE.

Ad Illustr.^mum & Reuer.^mum D. D.

IACOBVM CARDINALEM SERRAM FERRARIÆ LEGATVM,

Et eiusdem Ordinis Protectorem.

Præfatio.

IN numeris, ijsdemq; præstantissimis auxilijs (Cardinalis amplissime) æterni Conditoris prouidentiam mortales à vitijs reuocare, atque ad virtutum studia capessenda excitare, non modo Paginæ Sãctæ, & Doctores Sacri testantur, sed etiam experientia ipsa demonstrat: Inter quæ non postremum sibi locum illud vindicare fatendum est, cum ipsis insitam eis nobilitatem præ oculis ponit, eosq; ad ingenitæ sibi claritatis, ac dignitatis excellentiam considerandam perducit. Cui enim non patentissimum est, infinitos propemodum

pro suo dignitate tutanda, non modò laboriosa, vel difficillima fuisse aggressos, non solùm diuitias, et cuncta fortunae bona paruipendisse; sed corpus, vitamq; ipsam libenter profudisse, ne deriuatum in se à maioribus splendorem macula aliqua vel minima, dehonestare cogerentur? sic strenuissimus ille, Dux Hebraeorum Iudas

1.Mac. 9. *Machabaeus, in summo vitae discrimine cum socijs constitutus, ne propriae gloriae crimen inferret, gloriosam mortem magis, quàm turpem fugam amplectendam suasit. Sic grandaeuus, summisq; extollendus laudibus Eleazarus, cum*

2.Mac 6. *ab astantibus, vt à sacris Moysi legibus ad profanum gentium ritum degeneraret, vel saltèm, vt de sacrificij carnibus manducasse simularet, compelleretur: senectutis suae eminentiam dignam perpendens, gloriosissimam mortem magis,*

Isai 51. *gis, quàm odibilem delegit. Eximius quoque inter vates Isaias, populum Iudaicum ab execrando Idolatriae crimine auocare desiderans; ipsũ ad nobilitatis auitae recordationem prouocauit: Attendite, inquit, ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quae peperit vos. Quid*

Ioan. c.8. *plura? An non Saluator ipse noster Iudaeorum Principes ad Patrum suorum, ac Patriarcharum gloriam verè sectandam cohortatur, dùm ipsos veluti degeneres arguit acriter, dicens; Si*

filij

filij Abrahae estis, opera Abrahae facite? *Quamuis autem haec propriae dignitatis recordatio tantas, vt diximus, apud cunctos homines obtineat vires, maiores tamen, dubio procul in Regularibus Canonicis (quibus benignissimae protectionis tuae alis foueri, & admirabilis sapientiae fulgore illustrari Dei Omnipotentis clementia elargitum est) obtinere, altioresq; in ipsorum animis radices posuisse affirmandum est; & meritò: quippe qui, iuxta spiritualem propaginem, generis, et ordinis sui primordia, non ad mundi Principes, seu Monarchas, sed ad ipsos totius Christianae Religionis protoparentes, ad sanctissimos, inquam, Iesu Christi Saluatoris nostri Apostolos: vel potius ad ipsummet salutis nostrae auctorem, Dominum nostrum Iesum Christum referenda esse, non iniuria gloriantur: Quibus etiam illud D. Pauli verissimè accomodari cernitur, Ciues estis Sanctorum, & Domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Ea propter cum sacrae huius sacri Canonici Ordinis Constitutiones in praesentiarum edendae sint, quarum integra obseruatio ad summum perfectionis apicem, in Religione consequendum, perducit. consentaneum maxi-* Ephes. 2.

mè

mè videtur, nonnulla prius de Canonici Instituti antiquitate, ac dignitate, necnon etiam de eiusdem instituti ratione, breui narratione, percensere. Immensam enim argumentum istud tùm vtilitatem, tum etiam iucunditatem pariturum, quis ambiget? vtilitatem quidem; nam ex recordatione propriae dignitatis acuentur Canonicorum ipsorum animi, et excitabuntur ad exactam earundem Constitutionum obseruationem, ne ab insita sibi, atque à maioribus accepta nobilitate, turpiter degenerare conuincantur: Iucunditatem etiam non minimam; cùm nullus omninò mortalium comperiatur, cui non gratissimum, non iucundissimum sit, si ipsum à parentibus, Auis, Atauisq; praeclaris genus ducere, et originem trahere demonstretur, quòd amplitudinis Tuae auribus haud ingratum videbitur, qui Canonicam ipsam Religionem et protectione tueri, et amore præcipuo complecti, non dedignaris. Neque difficile prorsus, aut laboriosum erit Sacri huius Ordinis antiquitatem, et praestantiam patefacere.

Canonicum Ordinem non alios sui Auctores, vel Institutores, quàm Sanctissimos Domini Nostri Iesu Christi Apostolos habere tot grauissimorum virorum, ac etiam summorum Pontificum testimonia, et tàm clarè testantur,

vt

vt nullus, nisi stupidus, hoc negare, nullus, nisi amens, in dubium id valeat reuocare. D. Antoninus Florentinus. 3. par. sum. Hist. de Ordine Canonico verba faciens: Ordo, inquit, Canonicus, non tàm ab Augustino institutus, quàm renouatus, ab Apostolis sumpsit exordium. Vincentius quoque Beluacensis, in spec. Hist. & Lucidus, de rebus gestis post Christi Aduentum, eadem asserunt: sed fusiùs præ cæteris Rosetus Doctor Parisiensis, libro de veritate Christiana, hanc veritatem demonstrat. Cæterum ad fidem in re tàm graui firmandã accedant summi ipsi totius Catholicæ Ecclesiæ Pontifices, qui eidem veritati mirificè astipulantur. Pius IV. Constitutione, iuxta seriem Bullarij 95. Compertò, inquit, satis ex pluribus literis, diuersisq; alijs documentis, & probationibus, quòd ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis à Sancto Augustino, quinimò à Sanctis Apostolis institutis. Et Eugenius IV. in Bulla per quam ipsum Ordinem Sacrosanctae Patriarchali Ecclesiae Lateranensi restituit: Huius profectò (ait) Sacri Ordinis, & sanctissimi instituti, post Sanctos Apostolos, primùm in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus, Institutor fuit, & Conditor: ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus, diuinis regulis, et doctrina decorauit. &

Tit. 15. c. 16

Lib. 16. cap. 51.

Lib. 10. cap. 17.

Rub. de ord. Relig. Tit. 34. c. 3.

sanctae

sanctæ memoriæ Vrbanus insignis martyr, & sanctissimus Pontifex, generalis decreti ordine reformauit, & Beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo, velut plantationem sacram in commisso sibi populo præcepit institui, & in Occidentis finibus ampliauit. Benedictus quoque Decimus, in generali reformatione ipsius Ordinis, Ad Religionem, inquit, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini ab Christi gloriosis discipulis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitam, gerentes præcipuè charitatis affectum. Subscribit tandem Paschalis Secundus in literis Priori. S. Frigidiani directis, dicens, Vitæ Regularis propositũ in primitiua Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum, quàm B. Augustinus tàm gratanter amplexus est, vt eàm suis regulis informaret. Quomodo autem ab his cælestibus agricolis ordo ipse Canonicus plantatus fuerit per tot secula præterita successiuè propagatus, facilè admodũ erit ex probatissimis Auctoribus demonstrare. Gloriosissimi siquidem Saluatoris Nostri Iesu Christi discipuli lineam vestem induentes, non modò, quæ ad intimam spectant Religionis naturam vouerunt, verumetiam post gloriosam D.N. in Cœlos Ascensionem in Vrbe Hierosolyma conuenientes, clericos communiter viuentes,

tes,

tes, & lineis vestibus indutos instituerũt, atque ad eiusdem vitæ normam sectandam solemni voto astrinxerunt, sicq; prima ipsius Canonici Ordinis fundamenta ab illis iacta cernuntur. De qua fundatione, atque institutione Clemens Petri discipulus, et illius in Pontificatu Romano succeßor, in Epistola ad Iacobum Fratrem Domini; ita ad literam scribit: communis vita omnibus, fratres necessaria est, & maximè ijs, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumq; discipulorum imitari volunt. Et infra; Istius enim consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eorumq; discipuli, vt prædictum est vnà nobiscum, et vobiscum communem vitam duxerunt. Et post; Vndè consilium dantes vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, et Scripturas Sacras rectè intelligentes, quæ Domino vouistis, adimplere studeatis. O admirandam tanti Ordinis claritatem: ò nimium obstupescendam eiusdem vetustatem. Potest equidem Ordo iste nobilissimus per magnam, et proceram illam Arborem Nabuchodonosor Regi Babilonis in visione præmonstratam designari. Quid enim de Arbore illa mirabili à Daniele Propheta narratur, quod non rectè, non perpul-

Hier. de Vir. Illust. Liran. in in cap. 6. Apoc. Dion. c. 6. Eccl. Hier. Aug. lib. 17 de ciuit. c. 4 Cassad. lib. 1. instit. monast. c. 5. D. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 4. ad tertium.

Dan 4.

crè, Canonico Ordini congruat, quadret, conueniat? Arboris illius situs erat mirabilis, quoniam in medio terræ; Altitudo, siuè proceritas incredibilis, quia Cælos contingebat; Vastitas immensa, extendebatur namq; maximoperè, & aspectus eius, vsque ad terminos vniuersæ terræ: Non deerat illi species; nam folia eius erant pulcherrima; nec desiderabantur in illa fructus, imò vberrimi in ea visebantur: fructus eius (ait ibi Scriptura) & esca vniuersorum in ea. Latitudo verò tanta erat, vt subter eam habitarent animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersarentur volucres Cæli. An non vniuersa ista in Ordine Canonico pulcherrimè, mirificè, & ad stuporem vsque deprehenduntur effulgere? Nonne Ordo iste in medio est Paradisi (ne dicam terræ) Sacrosanctæ Ecclesiae Catholicae collocatus? An non sua altitudine, & proceritate Cælos contigit, vel potiùs (si dicere fas erat) compleuit, immensa nimirum Sanctorum, quos ad Caelos transmisit copia, adeò vt Anastasius Vaticanus Bibliothecarius scribat, fuisse iam sexdecim millia temporibus illis ex hoc Ordine in Canonem redacta? Vastitas autem eius quanta? Institutus ab Apostolis, per eosdem eorumq; discipulos adeò propagatus fuit, vt nulla Orbis natio fuerit inuenta, quae ipsum Ordinē,

In Catal. ad Carol. Imper.

vnà

vnà cum Euangelio non agnouerit, non exceperit, non sit libentissimè amplexata. Sed num deest illi species, aut decor? Bone Deus, vbi praeclariorem speciem, quàm in ipsius legibus, ritibus, & caeremonijs, quae sunt eius folia, comperies? Tantus fuit quondam eius decor, & venustas, vt latissimè in permultos etiam alios Ordines deriuarit. Quantum enim ornamenti. quantum splendoris Illustrissimi Ordines Casinensis, Dominicanus, Franciscanus, Eremitanus, & Carmelitanus, ex Ludouico Balbo, D. Dominico, Antonio Patauino, Nicolao Tolentinate, Alberto Hierosolymitano Patriarcha, qui omnes, vt riuuli ex Canonico fonte prodierãt, perceperunt? Neque fructuum vbertas in isto Ordine desideratur, cum propriè, ac primariò ad pascendum vniuersum Christi gregem, ad regendos fideles populos noscatur institutus. Alia causa (inquit D Hieronymus) est c. alia 16. quæst. 1. *Monachi, alia Clerici. Clerici oues pascunt, ego Pascor. Caeterum de altitudine ipsius, quid consonum, quiduè satis accommodatum enunciari potest, cum Ordo Canonicus Ecclesiam ipsam per multa secula gubernarit? Quicunque enim Ecclesiam vsque ad Vrbani Primi Papae, et Martyris tempora rexere, Canonicos Regulares fuisse, ex eiusdem Vrbani Epistola*

 eiu-

In animaduers. cont. Canon. delinquentes. Hier. Rom. lib. 1. de Republica Christ. c. 4. & 16. Ambros. epist. 82 & serm. de S. Euseb. Ioan. Molan. lib. 1. de Canon. c. 17.

dictum Ordinem à primaeuo instituto nonnihil deflexisse, comperisset: ipsum statim Generali Decreto, per vniuersum Orbem emisso, reformauit. Iterum à via recta ordo ipse aliquantulum declinauit: in eandem rursus per D. Basilium Magnum in Ecclesia Orientali, & in Occidentali per Sanctos Hilarium Pictauiensem, Eusebium Vercellensem, et Ambrosium Mediolanensem reductus est, quemadmodum luculentissima eorum monimenta prodiderunt. Passus est denuò non mediocris Sanctitatis iacturam: sed in eandem confestim, imò in ampliorem, et perfectiorem per Sanctissimum Patrem Nostrum Augustinum est restitutus. Adeoq; insignis, ac celebris fuit reformatio ista per Diuum Augustinum facta, vt exinde ipse totius Canonici Ordinis Pater, Patriarcha, et instaurator, non iniusto titulo, meruerit appellari. cuius deinde Regulam, et instituta complectens Diuus Gelasius, eaq; secum ex Africa Romam deferens, sub Leone Primo Pontifice Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam Canonicis Regularibus, regularibusq; institutis formauit, decorauit, illustrauit. In qua ijdem Canonici continuata, & nunquàm interrupta serie, per octingentos annos, vsque ad Bonifacium Octauum, permanserunt. Caeterum, vt

Panuinus in Gelasio, ex Archiuo Ecclesiae Lateranensi.

quid

quid varias huiusce Ordinis Reformationes, pluribus, persequi? sufficiat pro omnibus meminiße tantummodo celeberrimas illas totius Canonici Ordinis Reformationes, quæ per Summos Pontifices, Eugenium Secundum, Leonem Tertium, & Quartum per Concilia, Arelatense Quartum, Turonense Tertium, Aquisgranense Primum sub Carolo Magno, & Maguntinum temporibus Ludouici Pij Imperatoris celebratum, promulgatæ noscuntur, & quæ apud Auctorem Libri Decretorum, necnon in eorundem Conciliorum Historijs, conspiciuntur.

c. necessaria. 12. q. 1. c. in omnibus de cōsec. dist. 5. c. 6. & seq. c 23. & sequenti, c. 115 & seq. & Conc. 2. c 1 de or. Rect. c. 9. & seq.

Tādem, cum vniuersa ferè Italia bellorum cladibus eßet miserrimè deuastata, & ipse Ordo à fundamentis propè excisus videretur, Deo Omnipotente, qui non despicit nos, nec amouet salutem suam à genere nostro, misericorditer ipsū respiciente anno salutis nostræ 1400. sub Bonifacio Nono denuò viridior, & illustrior effloruit apud Lucensium Vrbem in Monasterio B. Mariæ de Frigdionaria nuncupato, in quo iam antea per annos circiter 250 idem Ordo viguerat, & tunc etiam vigebat; ac paucos post annos per Eugenium Quartum suæ Ecclesiæ antiquæ, ac nobilißimæ Lateranensi videlicet, fuit benignißimè restitutus.

Ex priuil. & authen. scrip. illius monast.

Eiusdem quoque Eugenij, & aliorum Summorum Pontificum, Principumq;

ac

ac Populorum beneficentia, non paucis deinde Collegijs, bonisq; fortunae, per Italiam mediocriter locupletatus, sub vitae Canonicae disciplina, vsque in praesentem diem perseuerat. Huius autem Canonici instituti ratio in duobus potissimum perspicitur esse constituta. Horum primum Canonicis Regularibus est cum caeteris aliorum Religiosorum institutis commune, videlicet, per votorum, et Regulae obseruationẽ propriae saluti insistere, et ad perfectionem anhelare alterum verò ipsis Canonicis est proprium, nimirùm Sanctorum Apostolorum, et Clericorum primitiuae Ecclesiae mores, ac vitam imitando, aliorum quoque saluti prospicere, ad eamq; curandam, diligentiam omnem adhibere; Quare ipsorum partes sunt, verbum Dei Populis praedicare, Parochias regere, Sacramenta fideliter distribuere, caeteraque alia Clericorum munera exercere: cum ipsi non ex accidenti, sed naturaliter, seù per essentiam, iuxta Diui Thomae doctrinam, Clerici existant. Nam Sanctos Apostolos, Clericosq; ab illis institutos, atque eorum successores, prae caeteris tamen D. Patrem Augustinum haec cuncta nouimus praestitisse. Hic verò gloriosissimus Pater, cum vitae Canonicae ratio nullis adhuc certis esset definita limitibus, nulla peculiari

a 2. q. 189. art. 8. ad secundum.

liari regula perstricta, primus ipsam regula propria Apostolicam vitam redolente, restrinxit, ideòq; à cunctis speculum Clericorum fuit iure meritò nuncupata. Hæc est illa regula toti mundo celeberrima, non tantùm à Summis Pontificibus, à Sanctis Patribus, & ab vniuersa Ecclesia vnanimi sententia, probata, verùm etiam præconijs vsque ad sidera elata. Verùm circa ipsam illud maximè animaduertẽdum est, quòd sicuti inter corpora cælestia, ea, quæ alijs supereminent, & praestantiora sunt, vniuersaliores habent causalitates, & influxus, quos ab alijs causis inferioribus, & particularibus necesse est ad particulares effectus restringi, ac determinari: sic ipsa Sancti Augustini Regula, quae sua amplitudine, dignitate, & exacta, quam praescribit viuendi ratione, longè alias omnes Religiosorum Regulas antecellit, communem dumtaxat, ac satis generalem viuendi modum praescribit; atque ideò pernecessarium fuisse, Constitutionibus nõnullis superadditis, ipsam ad particularia deduci, ac determinari. Quare factum est, vt non solùm multi alij Religiosorũ Ordines sub Augustini Regula militantes: verũ etiam ipsi Regulares Clerici, & Canonici varijs in Prouincijs constituti, multis, & varijs caeremonijs, ritibus, austeritatibus, & constitutionibus

nibus adiunctis, eandem regulam interpretari, locupletare, restringere, vel determinare, duxerint oportunum. Iuxta quarum constitutionũ diuersitatem, Clerici ipsi, & Canonici in varias segregati sunt Congregationes, quae tamen sola accidentali varietate distincta, essentialem eiusdem Ordinis seruant vnitatem. Ex his fuere potissimùm Patres illi Sanctissimi, qui in praenominato Sanctae Mariae de Frigdionaria Monasterio Congregationi Lateranensi reformandae, primitus operam impenderunt: Nouis namq; quibusdam additis constitutionibus (perbreuibus tamen seruatuq; facillimis) regulam ipsam locupletandam esse, et augendam consultissimè decreuerunt. Caeterum cum ea sit omnium humanarum legum natura, & conditio, vt nullae tàm iustae, nullae tàm sanctae censeantur, quin temporum lapsu, vel ex toto, aut saltèm aliqua ex parte, necessariò non sint immutandae. (Humana enim Respublica est misticum animal rationale, cuius vita ratio, alia in infantia cernitur, alia in iuuentute, alia in senectute) hinc factum est, vt post primas illas, ab inchoata huiusmodi reformatione, editas Constitutiones, nouas deinceps temporum successu constitutiones edere, & priores, vel in toto, vel àliqua saltèm ex parte, commutare, ne-

cessa-

ceßarium fuerit aliquando iudicatum. Idq; potißimum quinquaginta circiter abhinc annis factum deprehenditur, quibus, ob Decreta à Sede Apostolica edita, & ob nonnullas Constitutiones in Generalibus Comitijs emissas, antiqua Ordinis statuta partim abrogata, partim nouis Decretis aucta adeò fuerunt, vt nouam omninò reformationem expostularent, & necessariò ipsis eam adhibendam esse, Patres cũcti in Generalibus Comitijs iudicauerint. Quã multis abhinc annis meditatam, modò tandem, Deo Optimo largiente, absoluerunt, & absolutam in lucem emittunt, eamq; retento veterum Constitutionum Ordine, in tres partes distribuerunt, de ijs, quæ ad Religiosam Congregationem rectè instituendam, pertinent, primo loco pertractantes: Inde de regimine, tùm particulari, tùm vniuersali; ac postmodum de electionibus, ac de cæteris ad ipsas spectantibus; præcipuè tamen aduertentes, vt nihil de constitutionibus antiquis hactenus in Congregatione seruatis, omitteretur, & quæ præter Constitutiones, typis excusas, superaddita fuerunt, eas, vel ex Summorum Pontificum Decretis, vel ex Constitutionibus in Generalibus Comitijs editis, & in actis publicis registratis, acciperent. Et quia vitæ canonicæ perfectio non in legum multitudi-

ne, ac nouitate; sed in illarum obseruatione, consistit (Te potissimum Illustrissime, ac Reuerendissime Domine adiuuante, & Canonicos ad easdem toto studio amplexendas dirigente) non dubitat Congregatio ipsa, abiecto omni squalore, se iterum pristinæ gloriæ restituendam: immo clariorem prorsus, ac florentiorem in dies se futuram reddendam. Te namq; ex isto solio purpureo clauum huiusce Nauis tenente, ac mouente, secundi venti vndiquè perflant iustitiæ, pietatis, religionis, & charitatis, quibus ad portum salutis omnium bonorum feliciter perduci confidit. Faxit igitur Deus Optimus Maximus, vt sit nobis cor omnibus, vt colamus eum, et faciamus eius voluntatem corde magno, et animo volente. Adaperiat Dominus cor nostrum in lege sua, et in praeceptis suis, concedat nobis salutem, et redimat nos à malis: Illustrissimamq; Dominationem tuam ad eiusdem Congregationis, et totius Reipublicae Christianae commodum, et vtilitatem diù incolumen seruare dignetur.

IOSEPH

IOSEPH RAVENNAS
ABBAS GENERALIS,

Et Visitatores, ac Diffinitores Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, &c.

Ven. in Christo Fratribus D. D. Ioanni Chrysostomo Neapolitano dictæ Congregationis Visitatori, ac Diffinitori, & D. Andreæ Genuensi Abbati S. Mariae Pacis, & eiusdem Congregationis in Urbe Procuratori Generali salutem in Domino.

CVm in Capitulo generali prædictæ nostræ Congregationis in Canonica S. Ioannis in Monte Bononiæ celebrato ann. Domini MDCXXVII. & in eo præsidente apostolica auctoritate S.D.N. VRBANI PP. VIII. Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Roberto tit. S. Alexij Presb. Cardinale Vbaldino nuncupato fuerit statutum, atque decre-

tum etiam de mandato dicti Illustriss. ac Reuerendiss. D. Præsidentis, vt in Constitutionibus nostris adderentur, & insererentur ea, quæ in Decretis fel. rec. Clementis Papæ Octaui pro reformatione Regularium factis, ac iussu Sanctissimi D.N. Vrbani Papæ VIII. de nouo promulgatis, & publicatis continentur, & in prædictis Constitutionibus nostris inserta non fuerant, ac alia, quæ in dicto Capitulo statuta fuerunt, prout in actis prædicti Capituli, quibus relatio habeatur, & sic typis mandarentur, & publicarentur: et insuper in Dieta nostra Romæ celebrata in Canonica S. Mariæ de Pace, & in ea assistente, & præsidente, auctoritate apostolica, eiusdem S. D. N. Vrbani Papæ VIII. Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Lęlio Falconerio vtriusque Signaturæ eiusdem S. D. N. Referendario, ac prædictę nostræ Congregationis Viceprotectore fuerit de nouo statutum, atque decretum, vt prædictæ nostrę Constitutiones cum prædictis additionibus, & insertionibus, vt supra, excuderentur, & publicarentur, vt ab omnibus prædictæ Congregationis professis de eis notitia haberi possit, & ad illarum obseruantiam se teneri dignoscant, & de ignorantia prætendere non valeant; De vestra integritate, scientia, atque prudentia cõfisi, omnes, vt supra, in d. Dieta conuocati, & coadunati existentes vnanimi consensu, nomineq; penitù s discrepante, &c. auctoritate, qua fungimur, ac etiam de consensu, & mandato prædicti Illustrissimi, & Reuerẽdissimi D. D. Præsidentis, tenore præsentium, vobis dicimus, cõmit-

mittimus,atque mandamus,quatenus ad compilationem, & impreſsionem prædictarum Conſtitutionum cum additionibus, & inſertionibus prædictis faciendis, vt ſupra,iuxta exemplar vobis traditum à Ven. Fr. noſtro D.Eugenio Mutinenſe eiuſdem Congregationis Viſitatore, & Diffinitore,atque auctoritate apoſtolica Notario integrè,& fideliter coniunctim productis, & in Vrbe imprimi faciatis,prædicto, & omni alio meliori modo, &c: & in fid. præſentem fieri per prædictum D. Eugenium, & ſolito prædictæ noſtræ Congregationis ſigillo muniri mandauimus.

Dat. Romæ in Canonica noſtra S.Mariæ de Pace die 31.Maij 1628.

Ita eſt Ego D. Eugenius Mutinenſis Viſitator, Definitor, ac totius Congregationis Lateranenſis Notarius.

LITE-

LITERAE S. D. N. MARTINI PAPAE V.

Quibus conceditur Canonicis Regularibus Congregationis Saluatoris Lateranensis, facultas, Constitutiones condendi, & conditas immutandi, abrogandi, & innouandi, et dubia circa Regulam occurrentia declarandi, et interpretandi.

MARTINVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Solicitudinis Pastoralis officium, quod supra omnes Orbis Ecclesias, &c. & infra, *Ad cuius quidem Religionis, & Congregationis ipsius conseruationem, augmentum,*

tum, & felicem in Domino, in obseruantia vera, & sanctitate, successum, ijdem Priores, Praepositi, Rectores, Canonici, & Conuentus, singulis annis, siuè biennijs, aut saltèm triennijs, prout oportunum, & vtiliùs pro eadem Religione, expedire nouerint, Capitulum Generale celebrent, nullatenus dissoluendum, nisi, de subsequenti celebrando, fuerit per ipsum Capitulum locus idoneus terminatus: qui quidem locus, nisi euidenti, & magnae necessitatis causa, & de ipsius Religionis regiminis principali consensu, nequeat commutari. Jn quo quidem Capitulo pro stabilimẽto Congregationis Religionis praefatae, quomodolibet in eis occurrentia praeseruationem, & statum Sãctae Religionis praefatae, & obseruantiae regularis concernentia pro tempore, eadem auctoritate terminare, statuere, & ordinare, et ordinationes, atque statuta condere, ac inde statuta condita, et ordinata, successu temporis, prout eidem Capitulo magis congruum videbitur, et vtiliùs secundùm Deũ, et pro communi omnium pace, et conseruatione regularis obseruantiae, valeant: eis nihilominus innouandi, alterandi, commutandi in totum, vel in partem, obscura quoque, et dubia, etiam circa eorum Regulam, Constitutiones, atque Statuta (salua ipsius Regulae substantia)

tia) declarandi, interpretandi, disponendi, et ordinandi, secundùm gratiam à Deo eis tributam, facultatem concedentes.

Alijs autem ipsius Ordinis antiquis constitutionibus, praesertim Benedicti Papae XII. praedecessoris nostri minimè teneantur adstricti: quoniam mores, obseruantias, et consuetudines abundantiores habent illis, et in rigiditatibus, ac disciplina Ordinis strictiores, et obseruantiae regulari aptiores ad conseruandum Religionis debitè statum. & infra.

Statuta quoque, et ordinata per ipsum Capitulum, siuè maiorem, et saniorem eius partem ab omnibus, et singulis dictae Congregationis Religionis praefatae, tàm Prioribus, Praepositis, Rectoribus, et Canonicis: quàm subditis, inuiolabiliter obseruentur. Non intendentes tamen, ob hoc transgredientes simpliciter ad peccatum aliquod aggrauare, sed pœnitentiae tantùm, et temporali pœnae, siuè correctioni Superiorum subiacere debere, donec se humiliter emendauerint.

Impri-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Rodulphius Sacri Palatij Magiſter, & Vicarius Apoſtolicus totius Ordinis Prædicatorum.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM REGVLARIVM

ORDINIS DIVI AVGVSTINI,

Congregationis Saluatoris Lateranensis.

PARS PRIMA.

De totius Congregationis vnitate seruanda. Caput I.

QVicunque Deo optimo, ac Saluatore nostro Iesu Christo largiente in sacrum hunc Apostolicumque ordinē Canonicorum Regularium, Diui Patris Augustini Congregationis Saluatoris Lateranensis sumus cooptati, ante omnia ipsius Congregationis vnitatem totis viribus, & ex animo nobis seruandam proponamus; prout in principio Regulæ nostræ scriptum est, vt propter quod in vnum sumus in Monasterio congregati, sit nobis cor vnum, & anima vna, & non dicamus aliquid proprium, sed sint nobis omnia communia: Procul itaque à nobis abscedat, Meum ac Tuum,

In oratione de Sancto Philogonio

frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens (vt Chrysostomus ait) innumeraque gignens bella, vnde nullus contra nostram Regulam, & professionem aliquid suum affirmare audeat.

Multitudo autem, vel diuisio Monasteriorum Congregationis non tollunt vnitatem, quin potius corpus vnum pulcherrimum pluribus insignitum membris constituunt.

Quilibet etiam in eo Monasterio censeatur professus, & de illius existimetur gremio, cui legitimè fuerit per suos superiores deputatus, quamuis alibi professionem emiserit, qua nos non alicui particulari Monasterio, sed toti Cógregationi obligamur, sicuti in forma eiusdé professionis apparet, & prout in priuilegio nobis per Papam Martinum Quintum concesso latè continetur: Meminerint Canonici nostri, tot tantorumque Collegiorum Ordinis nostri, quæ propter Meum ac Tuum, miserrimè exciderunt; ijs tantúmmodo seruatis collegijs, quæ Congregationis vnitatem seruauerunt.

Volaterra. lib. 21.

Cæterum quoniam tria sunt ex quibus Congregationis vnitas potissimum constat, Regula nimirum, Habitus, & Vitæ ratio, de his tribus Diuino fauente auxilio, in sequentibus dicemus.

De Regula, & Constitutionibus, & earum frequenti lectione, & meditatione. Cap. II.

QVoniam geminata, sed non inani nominis repetitione Canonici Regulares nuncupamur, Regulam vitæ Canonicæ, tamquã ipsius vitæ Regularis speculum, continue ante oculos mentis tenere, ac meditari contendamus.

Quapropter, eadem Regula (sicut etiam in ipsa præcipitur) saltem semel in hebdomada coram omnibus Canonicis conuentualiter congregatis legatur, id autem sexta feria, tempore communis refectionis, nisi festum impediat, omnino fieri debebit; si autem sexta feria festum solẽne occurrat, in prandio vigiliæ eiusdem festi legenda erit; Quæ si in vno prandio minime expleri poterit, quod reliquũ erit, in altero prandio legatur. Et hanc Constitutionem, in omnibus nostris Monasterijs præcipimus obseruari: Patres Visitatores tempore visitationum, de illius obseruatione diligenter inquirant. Prælati eam obseruari non facientes, faciant disciplinam in Refectorio tempore Visitationum: Qui si contumaces & inobedientes adhuc perstiterint, suspendantur à Prælaturis per tres Menses.

Laudabilis etiam consuetudo, nostræ Congregationis, vbique retineatur, vt post dictum Matutinum, in Choro, Canonicis adstantibus, legatur quotidie à Prælato aliquid de eadem Regula Diui

Patris Augustini cum expositione Venerabilis Patris Hugonis nostri de Sancto Victore, quam singuli Prælati in suis Monasterijs habere teneantur.

Quæcunque in ipsa Regula contenta Votorum obseruationem respiciunt, absque vlla prorsus dispensatione, inuiolabiliter seruanda erunt; in reliquis Prælati, prout charitas, & ratio postulabit, cum subditis se gerent.

Studebunt etiam Patres Monasteriorum, ipsas ordinis nostri Constitutiones, tum in primis obseruare, tum vt à subditis seruentur, impensè procurare.

Quæ vt facilius ad singulorum notitiam valeant deuenire, præcipimus, vt quolibet die Sabbati, festo solemni non impedito, tempore communis refectionis legatur aliquid de libro præsentiũ Constitutionum, quem librum Prælati in suis Monasterijs habere teneantur, & Patribus Visitatoribus, tempore visitationum, vnà cum ipsa Regula exhibere.

In omnibus autem nostris Constitutionibus, vbi per summos Pótifices, vel sacros Canones culpa vel pœna spiritualis adiuncta non est, nos illarũ transgressores ad culpam, siuè spiritualem pęnam nunquam intendimus obligare, sicut etiam in Priuilegio Martini Papæ Quinti nobis concesso cauetur. Nullus tamen ex contemptu illas transgrediatur, quia tunc, non solum pœnæ temporali, sed culpæ, & pœnæ spirituali, secundum communem sententiam Doctorum, obnoxius censeri debebit.

De Habitu Canonicorum. Cap. III.

QVemadmodum in vnius Regulæ obseruatione, ita in vno & eodem habitu studeant omnes nostrę Congregationis Canonici conuenire. vt omnino vniformis sit fratrum, & quorumcunque superiorum, statuiq; paupertatis, quam professi sunt conueniat. Dec. Clem PP. VIII. de ref. Reg.

Est autem proprius, & essentialis ipsorum habitus Tunica linea, siue superpelliceum, Rochettum vulgò appellatum: Quod quidem Rochettum, nullus Canonicus, siue extra, siue intra Claustra temere dimittat, neque ita occultet, quin facile cuius sit instituti valeat agnosci, ne pœnam excommunicationis latæ sententiæ, per sacros Canones transgressoribus impositam incurrat. C. vt periculosa. Ne Clerici vel Monaci.

Rochettum Canonicorum omnium, siue subditorum, siue etiam Prælatorum, tam in materia, quã in forma sit vniforme, videlicet ex linea Tela, mediocriter subtili, cum manicis mediocriter longis, & amplis, careatq; vanis illis ornamentis, siue circa collum, siue circa manus, siue circa suturas, vel plicaturas, quæ magis leuitatem secularem, quam religiosam honestatem redolent, eiusq; longitudo, subtus genua saltem extendatur.

Deferant etiam Canonici nostri sub Rochetto Tunicam lineam albam longam vsq; ad talos; & si ita videbitur, aliam Tunicam albam, breuiorem, vsq; ad mediam tibiam protensam.

Cami-

Camiſiam quoque laneam, ſiue lineam, prout corporis valetudo, & Prælati arbitrium permiſerit. Quod ſi linea fuerit, eius extremitates circa collum, & manus, nullo modo de foris appareant, immo extremitates ipſæ ſint de Raſcia ſiue Scotto, ita decenter aptatæ, vt nullo modo ſecularem vanitatem, ſed religioſam modeſtiam præſeferant. Thorax autem, ſeu corettum, femoralia, & tibialia, ſint lanea, vel linea albi omnino coloris, ſiue ex pellibus abraſis, & ſimiliter ſubligacula. Sotulares & calcei, ſint coriacei nigri, ſecundum formam religioſo ſtatui conuenientem.

Ferant inſuper Canonici birretum clericale nigrum iuxta formam birreti Clericorum ſecularium, quæ tamen forma ſit modeſta, & in omnibus Canonicis vniformis.

Chirothecas nullus ferat, niſi cum equitabit, aut longum iter conficiet; neque anulos in digitis. Nullus extra Cellam ſine Tunica talari, & Rochetto exeat, ad religioſam grauitatem, & honeſtatem ſeruandam: ſecus facientes pro qualibet vice, faciãt diſciplinam publicè in Refectorio, tempore communis refectionis.

Et licet Rochettum verè, & propriè ſit habitus Clericalis, neque eſſentialiter à ſuperpelliceo differat, prout Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens, Octauus nuper decreuit, nihilominus Canonici noſtri ſacris Altaribus inſeruientes, ſacramenta miniſtrantes, Euchariſtiam ferentes, & alia id genus munera Eccleſiaſtica exercentes, ob maiorem reuerentiam,

Clem. PP. VIII. ann. 1603. 1. die Sept. in ſacr. Congr. ſup. neg. Epiſ. & Reg.

tiam, superpelliceum, vulgo Cottam appellatum, semper induere debebunt.

Et quia Almutiæ sub habitu Canonicorum nostræ Congregationis comprꝛhenduntur, & ex antiquissima consuetudine, intra septa Monasteriorum, certis saltem diebus ferri solent, præcipitur, vt omnes Prælati, saltem diebus festiuis, dum Diuinis officijs in Ecclesijs intererunt, ipsis Almutijs vtantur, quæ sint ex panno, siue ex rascia, nigri prorsus coloris, & non alterius.

Cassian. lib. 1. instit. monast. cap. 7. Benedictus XII. in bulla Reform. cano. Reg.

Cum ipsi Canonici, è Monasterio egredientur, super Rochetto, Cappam nigram, vsque ad talos descendentem, à parte anteriori apertam, cum Capuccio consuto, semper ferre debebunt; Quæ quidem Cappa ex rascia lanea, non autem alterius materiæ, nec etiam alterius coloris, erit. Pileum similiter nigrum, formæ, quæ religiosos deceat, sine floccis seu appendicijs ferant.

Vsus autem Mantellorum, omnibus nostris Canonicis cum pedestres incedent, semper & vbique sit interdictus, exceptis tamen Oeconomis, & Procuratoribus Monasteriorum, & alijs, quos extra Claustra tempore niuium, vel pluuiarũ exire oportebit, cum quibus Prælati tunc dispensare poterũt; non tamen alio tempore, neque ob aliam causam. Excipitur etiam Monasterium Sancti Frigdiani de Luca, in quo seruetur loci consuetudo.

Si contingat nostros Canonicos æquitare, aut alio modo à Monasterijs longè proficisci, eorum habitus talis erit; ferent sub tunica linea, siue Ro-

chetto,

chetto, breuem Tunicam laneam albam, ſaltem vſque ſubtus genua protenſam, quæ femorialia omnino valeat operire: ſuper ipſo Rochetto Pallium, ſiue mantellum, aut feltrum nigrum ferent, non tamen alterius coloris, neque cum Manicis, vt habitus noſtræ profeſſionis facile ab omnibus videri poſſit. Poterunt etiam Tunica ſtrictiori, & nigra ſuper Rochetto vti, ſi tamen illa ſine manicis ſit, & talis formæ, per quam habitus noſtræ profeſſionis minimè occultetur.

Ocreas, Chirothecas, & Calcaria Canonicis noſtris iter agentibus, ita permittimus, vt in omnibus religioſam Modeſtiam præſeferant. Ocreæ, & calcaria, ſint nigra, & non alterius coloris.

Vt etiam prædicatores noſtræ Congregationis in Eccleſijs conciones ad populos habentes, in habitu vniformitatē ſeruent, præcipitur ne vllus prædicator publicas vnquam cōciones ad populos habeat, niſi Cappa nigra indutus, & capite cum Cappucio cooperto. Vſus verò birreti Clericalis, in concionibus ad Populos habendis omnibus noſtris Canonicis ſit prorſus interdictus.

Quicunque alterius generis, aut coloris, aut formæ, aut materiæ indumentis vſus fuerit, ſiue intus, ſiue extra Clauſtra, ſiue iter agendo, ſiue concionando, voce actiua, & paſſiua, per triennium priuatus exiſtat. Prælati qui has conſtitutiones à ſuis ſubditis, minimè obſeruari fecerint, vacent per annū, & non poſſit cum eis, niſi à toto Capitulo Generali diſpenſari.

DE

De Habitu Conuerſorum, & Oblatorum. Caput IIII.

HAbitus Conuerſorum noſtræ Congregationis erit primò tunica lanea albá,longitudinis vſque ad mediam tibiam, non maioris neque minoris, ſuper qua haſtam, ſiuè patientiam lineam eiuſdem longitudinis,cingulo albo, & humili ſuccinctam ferét, quæ eſt profeſſionis illorum habitus. Corettum autem, femoralia, ac tibialia Conuerſorum ſint lanea, vel linea, vel ex pellibus, ſicut de Canonicis dictum eſt, hoc excepto, quòd tibialia ex pellibus,ipſi Conuerſi nullo modo ferre debebunt. Calceos verò coriaceos nigri coloris ferent iuxta formam Religioſis conuenientem. Vſus autem ſotularium,ſeu planellarum, ipſis Conuerſis ſit omninò interdictus.

Birretum Conuerſorum ſit de panno laneo, coloris taneti, ſeu leonini humile & depreſſum ita,vt nullo modo clericale videatur. Cum autem domo egredientur,pileum nigrum humile, & eorum ſtatui conueniens portabunt,ac etiam pallium de panno, ſeu de raſcia, vſque ad mediam tibiam longũ, quod ſimiliter coloris taneti, non autem alterius eſſe debebit.

Si Conuerſos æquitare,contingat, vſus ocrearũ, & chirothecarum,eis permittatur, pallium tamen nigrum,aut alterius coloris, præter tanetum nullo modo ferant. Conuerſi,qui alio colore,aut forma, aut materia indumentorum vti auſi fuerint,per an-

num habitu professionis sint priuati.

Habitus Oblatorum, siue Commissorum nostræ Congregationis erit tunica lanea, coloris taneti, vsque ad mediam tibiam descendens, & non vltra: pallium etiam, birretum, & pileum, eiusdem materiæ, formæ, & coloris, quemadmodum Conuersi ferent, ac cætera indumenta, sicut de Conuersis dictum fuit.

De Tonsura clericali. Caput V.

IN omnibus Monasterijs nostris, statutis temporibus fiat Tonsura, omnesq; Canonici, & Conuersi pariter, & vniformiter respectiuè tondeantur.

Tonsura in Estate singulo die quintodecimo, in Hyeme verò quolibet die 21. fieri debebit.

Tonsura Clericorum fiat in modum Coronæ, iuxta vsum, & modum Clericorum primitiuæ Ecclesiæ, hactenus in nostra Congregatione seruatum. Corona Clericalis, nec nimis lata sit, nec nimis stricta, sed decenter composita.

Caueant omnes à capillorum, & barbæ studiosa compositione: Barbæ decenter aptentur, nec nimis longæ ferantur, & per omnes partes, æqualiter tondeantur, non autem iuxta morem secularium personarum ita artificiosè aptentur, vt notari mereantur. Qui alio modo sibi comam, aut barbam aptari fecerit, quamdiu se se ad præscriptũ præsentis Constitutionis; tonderi non fecerit, stet in Claustro per

tres

tres menſes; & ſi contumax perſtiterit ſit inhabilis per triennium ad omnes dignitates, gradus, & officia in noſtra Congregatione obtinenda, & priuetur eiſdem dignitatibus, gradibus, & officijs, ſi quæ aſſequutus fuerit, ac etiam ab officio prædicationis ſit ſuſpenſus.

Conuerſi, & Oblati circa capillorum, & barbæ tonſuram, eandem Conſtitutionem inuiolabiliter obſeruent, excepto quod Clericalem coronam, cum ſint laici, non ferent; ſed eius loco in ſignum religioſæ illorum profeſſionis, partem inferiorem occipitis abraſam vſque ad auricolæ ſummitatem ferre debebunt. Contrafacientes huic Conſtitutioni, habitu profeſſionis vſque ad emendationem priuentur, & grauioribus etiam pœnis coerceantur.

De ſtudio perfectionis, & cura interioris hominis. Caput VI.

CVm iuxta ſentẽtiam D. Thomæ, communiter à Doctoribus probatam, Religioſus ad perfectionem tendere teneatur, omnes, qui in S. Congregatione vitam regularem profeſſi ſumus, conſtãti animo eniti debemus, vt nihil perfectionis nobis deſit, quod in Congregatione cũ Dei gratia conſequi poſſimus, per exactam, & abſolutã, non ſolùm Votorum, ſed etiam omnium noſtræ Congregationis conſtitutionum obſeruationem. 2.2. q. 186. art. 2.

Itaque Prælati monaſteriorum ſedulò circa vnũquemque illorum curæ cõmiſſum inuigilare debe-

bunt, vt videant, an, & quantum quiſque in via Dei proficiat. Deſides verbo, & exemplo ad virtutem, & ad perfectionem aſſequendam excitabunt, pro certo habentes, omnium ſubditorum defectus ſibi imputandos, & animarum illis commiſſarum, ſtrictiſſimam rationem ſe eſſe reddituros.

Quiſque apud ſe conſtitutum habeat in cura interioris hominis & in perfecta virtutum acquiſitione, magis conſiſtere religioſam perfectionem, quã in doctrina, vel alijs ornamentis naturalium donorum, & virtutum.

Licèt Regularis ſecundùm probabilem ſententiam Doctorum, non ita teneatur ad perfectionem aſpirare, vt omittendo aliquid eorum, quæ cadunt ſub conſilio, vel quæ per ordinis conſtitutiones iubentur, ijs exceptis, quæ Votorum obſeruationem reſpiciunt, mortaliter peccet; quiſque tamen pro certo habeat illius ſtatum, qui diù viuens in Congregatione non proficit, & cum ſolitis ſeculi imperfectionibus vitam ducit, valde ſuſpectum habendum eſſe, quemadmodum Sancti Patres vnanimi conſenſu fatentur.

De Abnegatione voluntatis, & perfecta Obedientia. Caput VII.

QVamuis in omnibus votis obſeruandis, & virtutibus adipiſcendis, maxima ſit à nobis adhibenda diligentia, in virtute tamẽ obedientiæ comparanda, & in eius voto ſeruando, maio-

maiori conatu insistendum est. Quilibet ergo in nostra Congregatione suis superioribus, non solùm in ijs, ad quæ ex præcepto, seù voto tenetur, sed etiã in alijs cunctis libenter studeat obedire, eisdem superioribus liberam rerum suarum, & sui ipsius etiã dispositionem relinquens. Nec tantùm in externa exequutione omnium, quæ illi à Prælato iniungentur, sine excusatione, aut murmuratione, cum vera humilitate pareat, licèt difficilia, & secundùm sensum repugnantia illi præcipiantur; sed propriam voluntatem, & proprium iudicium abneget, superiorisque voluntatem, & iudicium vbi peccatum non appareat, pro regula sibi constituat.

Quascunque siuè per Ordinis Constitutiones, siuè per Prælatum sibi iniunctas pœnitẽtias, vnusquisque alacri humiliq; animo studeat adimplere, non illas modo, quæ propter defectus, negligẽtiasq; culpabiles ipsi imponũtur, sed eas quoque, quas, aut nulla, aut leuissima dumtaxat culpa præcedente, ad humiliationem tantùm ipsi imponi contigerit.

Nullus, cum ex obedientia, ad aliquod officium assumetur, vllo modo resistere præsumat, sed cum vera humilitate superiorum vo untati pareat; quod nisi fecerit, omnibus officijs & gradibus priuetur, & tamdiu ad Reuerendissimi Abbatis Generalis arbitrium, iustæ disciplinæ subiaceat, donec obtemperare proponat.

Qui suis Prælatis veram obedientiam, ex animo exhibere noluerint, non solùm ad habitum nostræ Congregationis admittendi non erunt, sed etiam

rece-

recepti, si secundò, & tertiò admoniti contumaces fuerint, aut carceribus deputentur, aut tanquam morbidæ pecudes, de nostra societate proijciantur.

De Affectu proprietatis abdicando, & communi vita seruanda. Caput VIII.

APostolicam illam in cõmuni absque proprio viuendi rationem, quam coram sacris Altaribus in professione solenniter vouerunt Canonici nostri, atque Conuersi, ardenter diligere, diligenterq; sectari contendant, euangelicum illud
Luc. 14. attendẽtes, Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus

Nullus sine licentia sui superioris aliquid accipiat, aut teneat, licèt à parentibus, vel amicis donatum, siuè titulo eleemosynæ, aut alio titulo sibi collatum, siuè illud sit pecunia, siuè vestis, siuè quiduis aliud pecunia æstimabile. Neque etiam extra Monasterium, apud quamcunque personam deponat pecunias, vestes, libros aut aliud quodcumque, nec aliquid vendat, donet, mutuet, vel alio modo distrahere audeat.

Dec. clem. PP. VIII. de ref. reg. 3. 4. 5. 6. 7. Nullus bona immobilia, vel mobilia, pecunias, prouentus, census, eleemosynas, siuè ex concionibus, siuè ex lectionibus, siuè pro Missis celebrandis, siuè alio quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum sint, tanquam propria, aut etiam nomine Monasterij retinere possit. Eorum

rum verò quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quidquã vt proprium possideat, neque vt proprio vtatur. Non liceat enim superioribus alicui bona stabilia ad vsumfructum, vel vsum, vel administrationem, aut comendam, aut etiam depositi, vel custodiæ nomine concedere, sicut in Sac. Concil. Trid. ac apostolicis decretis de reform. reg. continetur, atque præcipitur. Et qui in præmissores aliquo deliquerit, pœnas nedum à d. Conc. Trid. & Apostolicis Decretis præscriptas: sed alias quoque grauiores superiorũ arbitrio imponendas incurrat. Conc. Tri. sess. 25. de reg. cap. 2.

Prælati Monasteriorũ, saltem quater in anno, videlicet in principio anni, iuxta nostrã cõsuetudinẽ, & post Festum Exaltationis S. Crucis, In initio Aduentus, & Quadragesimæ, suos subditos capitulariter cõgregatos moneant sub pœna excommunicationis, ne aliquid pecunia æsti[m]abile, qu[ãu]is minimum, audeant occultare, sed omnia fideliter, & distincte ipsis reuelare debeãt; Ipsi verò Prelati quidquid habuerint prætio æstimabile, Patribus Visitatoribus, tẽpore visitationũ, manifestare teneantur.

Vt autẽ omnis proprietatis affectus nostris amputetur, precipimus, vt omnes, siue Prelati, siue subditi, siue Canonici, siue Conuersi, quascũque pecunias, quouis modo ipsis obuenientes, cum primum ad illorũ manus peruenerint, in manibus Depositarij, in quolibet Monasterio constituendi deponere teneantur; in communi capsa Monasterij seruandas iuxta modum in secunda parte præsentium constitutionum tradendum, in Capitulo de Depo-

sitario;

ſitario; Vt de dictis pecunijs ad arbitrium Prælati comparētur, quæ ſingulis neceſſaria ipſe in primis iudicauerit, & vnicuique quemadmodum cuique opus fuerit prouideatur, ſicut in noſtra Regula cōtinetur. Superioribus autē, ne Conc. Trid. aut decreta per fel. rec. Clem. PP. VIII. de ref. reg. edita, declarare, interpretari, diſpenſare, aut relaxare vllo modo poſſint, omnino interdicitur, & prohibetur, prout in decretis prædictis ſancitur.

Dec. Clem. PP. VIII. de ref. reg. 7 15. & 40.

Et ne ſubditi rebus neceſſarijs deſtituantur, prohibemus, deſtrictèque interdicimus Prælatis Monaſteriorum, ne pecunias depoſitas in alios vſus, quā Canonicorum, & Conuerſorum vtiles, ac neceſſarios, vllo modo valeant conuertere, ſeù implicare; & vt regulas in ſecunda parte in capitulo de Depoſitario traditas, etiam circa huiuſmodi depoſita fideliter obſeruent; Prælati, qui hanc Conſtitutionem de Depoſitis faciendis ipſi in primis non obſeruauerint, & à ſibi ſubditis obſeru ri non fecerint, ſuſpendantur à Prælaturis per ſex menſes.

De Caſtitatis, & ſenſuum cuſtodia. Caput VIII.

EA in Religioſis omnibus effulgere debet tum animæ, tum corporis mundities, vt Angelicam puritatē ſi non penitùs æquare, aliqua ſaltèm ex parte æmulari videatur. Cum autem ad internum animæ candorem tutandum, externorū ſenſuum cuſtodia firmiſſimum noſcatur præſidiū, vnuſ-

vnuſquiſque noſtrum, maiori, qua poteſt, diligentia, ſenſuum ſuorum, ſed maximè oculorum, auriũ, ac linguæ portas ab omni labe ſtudeat cuſtodire: Quilibet ab illicitis otioſiſque locutionibus, & ſcurrilibus confabulationibus abſtineat; Turpiloquia nec nominentur in nobis, ſicut decet ſanctos: Libri ſcenici, & alij amores laſciuos redolentes, ſiuè typis excuſi, ſiuè manu ſcripti, per quorum lectionum proculdubio animi boníque mores deprauantur, omnibus noſtris ſint perpetuò interdicti.

Prælati Cellas ſubditorum ſæpius viſitando, regulas Indicis, & præſentem Conſtitutionem diligenter exequantur; neque huiuſmodi libros laſciuos, etiam prætextu cultioris linguæ addiſcendæ ſuis ſubditis vllo modo permittant.

Quicunque libros laſciuos, res obſcœnas, & profanos amores continentes, aut cantilenas, aut Epigrammata vulgari Idiomate, Sonetti, & Madrigali, nuncupata, res turpes, & obſcœnas redolentes compoſuiſſe, deprehenſus fuerit, acriter puniatur iuxta regulas Indicis librorum prohibitorum; Et eodem modo puniantur tenentes (quod abſit) Imagines obſcœnas, motus inhoneſtos, & nuda pudenda præſeferentes.

In Eccleſia, & in via, & vbicunque fœminæ fuerint, quiſque oculos demiſſos, & caſtigatos habeat, prout in Regula admonemur. Curioſos, & procaces Prælati corripiant, etiam publicè, ſi illi publicè delinquere non erubeſcant.

De Ecclesia, & Oratorio. Caput X.

REgularium omnium Canonicorũ Deo, peculiari quadam ratione, inseruientium, illud præcipuum est, vt diligant decorem Domus Dei, & locum habitationis gloriæ illius: Quapropter quilibet Prelatus maiori, quo fieri poterit apparatu, & ornamentorum elegantia, ac varietate Basilicas, sacella, atque oratoria exornanda, atque decentissimè seruanda curabit.

Altaria, in quibus sacra fieri solent, quàm decenter sint ornata, cum mappis mundissimis, Cruce, Candelabris, & pallijs. Super Altaribus, semper tres mappæ mundissimæ teneantur & totidem aliæ in Sacristia pariter mundæ adseruentur; vt si casu contingat eas, quæ in Altaribus erunt, maculari, illis ablatis, aliæ mundæ loco earum ponantur. Patres Visitatores tempore visitationum inspiciant non solùm, an in quolibet altari sit numerus mapparũ, per Rubricas Missalis Romani præscriptus: sed etiã an in Sacristia aliæ mappæ mundæ, vt præmissum est, seruentur; & Prælatos, hanc constitutionem minimè obseruantes acriter corripiant.

Pallia Altarium, si possibile fuerit, omnia serica esse debebunt, & tot numero varij coloris, pro quolibet Altari, vt quotidie iuxta festorum varietatem, valeant mutari, & saltem circa Altare maius id obseruetur, nec non circa illud, super quo Sanctissi-

mum

mum Eucharistiæ Sacramentum aduersabitur; quæ præ ceteris exornari debebunt.

Tabernaculum, in quo ipsum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruabitur, extra, sit totum auro contectum, intus verò serico rubeo similiter tectum, claui inaurata obseruatũ. Pixides etiã, & Calices sint ex argento, & si fieri potest, etiam vascula, in quibus Chrisma, & Sacrum Oleum seruantur. Ante Altare, super quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum seruabitur, lampas purissimi olei oliuarum semper ardere debebit. Prælati, qui alio oleo in suis Ecclesijs vti permiserint, grauiter puniantur tempore visitationum, & insuper faciant publicè disciplinam in Refectorio in Capitulo generali.

Reliquiæ Sanctorum in Thecis argenteis, si fieri poterit, sin autem in vasis deargentatis in loco decentissimo recludãtur, vel in Ecclesia ad latus Altaris, vbi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentũ seruabitur; vbi ad aliud latus o eum infirmorum in fenestrella tenẽdum erit, aut super alio Altari, aut saltem in Sacristia, in loco decenti hæc omnia seruari debebunt. Circa omnia supradicta Rubricæ Missalis, & Ritualis Romani custodiantur, & executioni demandentur.

Ecclesiæ Oratoria, & Sacella quotidie diligẽter euerrantur, Cruces, Candelabra, lampades frequenter tergantur, ab Iconibus, & sacris Imaginibus puluis, & omnes sordes frequenter, ac diligenter excutiantur, & etiam à formicibus telæ Aranea-

rum diligenter auferantur, vt mundities, & decor domus Dei in omnibus resplendeat. Cessent prorsus in Ecclesijs, & Oratorijs confabulationes, deambulationes, ac strepitus, præsertim eo tempore, quo sacra in eis fient, aut diuina officia recitabuntur, aut orationi, ac meditationi vacabitur, quo tempore fores Ecclesiarum omnibus patere debebunt; extra verò illud tempus claudentur, nisi populorum deuotio, & concursus aliter fieri postulauerit.

Ad Vicarios locorum præcipuè pertinebit, saltē singula hebdomada Ecclesias, Altaria, Icones, Cruces, Candelabra, lampades, Altarium mappas, & pallia, & alia id genus visitare, & ea, quæ ad nitorē, & ornatum Ecclesiarum hic præcipiuntur, vt à Sacristia obseruentur, diligenter procurare, qui si negligentes fuerint, ab officio remoueantur. Prælati verò qui in suis Ecclesijs supradicta omnia obseruari pro posse non fecerint, si admoniti neglexerint, vacent à prælaturis, tanquam indigni, quibus cura Domus Dei committatur.

De assiduitate Orationis, & meditationis. Caput XI.

AD regularem perfectionem assequendam, nil validiores hominum subministrat vires, sicut frequētia, & asiduitas orationis ac meditationis, qua mens in Deum elata sacrificium illi summè acceptum offert. Propterea omnes nostræ Congregationis non solùm Canonici, verum etiam

Conuersi, ad præscriptum regulæ statutis horis, singulis diebus, orationi insistere debebunt. Canonici præter diuina officia, quæ vel in Choro, vel, legitimo impedimento, extrà Chorum detenti, quotidie recitare tenentur, sciant, se ad preces Deo pro suis, deinde pro totius populi peccatis offerendas semper obligari. Conuersi, & Oblati, qui ad Diuinum Officium recitandum minimè tenentur, eius loco singulis diebus hæc deuotè recitabunt, nimirum prò Matutino, & laudibus vigintiquinque vicibus Pater noster, & Aue Maria, pro singulis horis Canonicis Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio septem vicibus, pro Missa duodecim, pro Vesperis, item duodecim vicibus Pater noster, & Aue Maria, recitare studebunt. Singulis autem diebus Missæ sacrificio intererunt.

Omnes Canonici, ac etiam, si fieri posit, Conuersi quotidie in Ecclesia, vel Oratorio simul congregati saltem per integram horam mentali orationi, & meditationi vacent videlicet per mediam horam post dictum matutinum, & per aliam mediam horam post dictam Nonam, quando Nona post prandium conuentualiter dici consueuit, nimirum à Paschate Resurrectionis vsque ad festum Exaltationis S Crucis, vel post dictum Completorium; & hæc constitutio in omnibus Monasterijs indispensabiliter seruetur.

Qua-

Qualiter Diuinis Officijs in Choro, & in Ecclesia interesse oporteat. Caput XII.

QVia clericalis instituti præcipuus finis est diuinas laudes cum cordis humilitate, ac puritate in Ecclesia persoluere, studeant nostræ Congregationis Canonici, tàm acceptabile sacrificium ipsi Creatori, sicut oportet, exhibere. Igitur quibus horis ad diuina officia recitanda in Ecclesiam cõuenire oportebit, cum aliquibus ictibus campanæ per Sacristam, signum detur omnibus Canonicis, prope esse tempus ad Ecclesiam cõueniendi. Eo signo dato omnes à quibusuis negotijs statim se expediant, & ad Chorum properent, vbi genuflexi in suis locis orantes, mentem colligãt, corda sursùm eleuent; & non solum labia, verum multo magis corda mundissima ipsi Creatori offerre nitantur, caueant, nè de illis iustè dici posit: Matt. 15. populus hic labijs me honorat; cor autem eorum, longè est à me.

Cùm primum per Sacristam eiusmodi signum datum fuerit, Cantores ad libros, quibus in officio, vel Missa decantandis vtendum erit parãdos, & ea, quæ in officio, vel in Missa dicenda erunt, inueniẽda properè contendent. Post factam conuenientem moram, vltimum signum cum campana iterum pulsetur; eo verò audito quilibet vel imperfecta litera relicta, vel alio quouis negotio, statim ad Ecclesiam

clesiam properet. Pulsetur verò tamdiù campana, donec ex singulis locis Monasterij antequam officium inchoetur Canonici valeant simul ad Ecclesiam conuenire.

Nullus prætextu cuiuscunque priuilegij, vel superioritatis à seruitio Chori censeatur immunis, nisi cum quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus, nec etiam prædicatores, & lectores vigore cuiuscunque priuilegij ab huiusmodi Chori seruitio immunes censeantur, nisi cùm actu prædicant, vel legunt: in negligentes, aut inobedientes salutari pęnitentia superiores ità animaduertãt, vt qui absque legitimo impedimento diuinis officijs interesse noluerint, per mensem claustrum habeant. Qui verò ex negligentia tardiùs ad Ecclesiam ierit, post dictum primum versiculum. Gloria patri, &c. tamdiu stet in medio Chori, capite versus Altare inclinato, quamdiu signo aliquo à Patre facto, licentia ei detur ad suam sedem eundi; qui verò ex consuetudinaria negligentia tardiores ad Chorum ierint, seueriori disciplina à prælatis corripiantur. Qui ex causa legitima Choro interesse non poterunt, Prælato per nuntium id significabunt.

Dec. Clem. PP. VIII. pro ref. re. 1. & 16.

Canonici Ecclesiam primò intrantes, acceptà aqua benedicta, coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento genuflectentes humiliter adorent. Facta breui oratione, cum silentio surgentes, in Chorum ad propria loca accedant in quibus genuflexi tamdiù expectabunt, donec per maiorem in Choro significetur omnibus, diuinum officium esse inchoan-

choan-

choandum,& tunc omnes ſurgentes, profundè inclinati dicant Pater noſter &c.Hebdomadario verò officium inchoante,omnes ſeſe erigãt, & ſic erecti Diuinum Officium cum attentione recitabunt; vt illud verſetur in corde,quod profertur in ore,ſicut in Regula docemur.

Cum dicetur Verſiculus.Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto,& ſimiliter vltimus cuiuſque Hymni verſiculus, omnes profundè caput inclinãtes incuruentur. Cum in Inuitatorio dicetur, Venite adoremus,& procidamus antè Deum,omnes genuflectant; Cum Sanctiſsimum nomen Ieſu, aut Beatiſsimæ Virginis Mariæ, aut D. Patris Auguſtini pronunciabitur omnes caput diſcooperiendo humiliter inclinent. Cum Canticum Magnificat, Benedictus,& Nunc dimittis,& Hymnus Te Deum laudamus,& Symbolum D. Athanaſij recitabitur,omnes à ſedibus diſtantes,ſtent erecti,& capite diſcooperto. In reliquis mos locorum ſiuè in ſtando, ſiuè in ſedendo, itá obſeruetur, vt in omnibus vniformitas appareat.

In omnibus officijs recitandis,& Miſsis celebrãdis, Rubricæ Breuiarij, Miſſalis, Cęremonialis, & Directorij Romani, & etiam Calendari rum, quæ ab Ordinarijs locorum annuatim edũtur, exactè ſeruentur; niſi ob aliquod feſtum, certo die in noſtra Congregatione celebrari conſuetum,impediamur, vt cum Calendarijs locorum in officio recitando conformemur. Eiuſmodi autem libros, & ſimiliter libellum Officiorum peculiarum Sanctorum noſtrę

Con-

Congregationis Prælati in ſuis Eccleſijs habere teneantur. Qui ex auaritia, vel ex negligentia illos habere non procurauerit, vel alio ritu, modo, aut cæremonijs in recitando Diuinum Officium, vel in Miſsis celebrandis, in ſuis Eccleſijs vti permiſerit, faciat publicè diſciplinam in Capitulo Generali, & grauiùs etiam à Patribus Viſitatoribus corripiatur; & ſi correptus non ſe emendauerit à Regimine amoueatur. In Monaſterio verò Sancti Frigdiani de Luca ipſius loci conſuetudo ſeruari debebit.

Officium dicatur alta voce, clara, & diſtincta, & ità morosè, vt quælibet dictio facilè ab omnibus intelligi poſsit; Fiat in medio cuiuſlibet verſiculi cõueniens pauſa, ſiuè morula; non tamen caudæ verſiculorum longiùs protrahantur. In monoſyllabis, aut dictionibus græcis, vel hebraicis non fiant vocũ inflexiones, aut eleuationes. Minores maioribus aures præbeant, & illos ſequantur; ſi quis in canendo, pſallendo, vel legendo errauerit, & Chorum turbauerit, terram manu tangẽdo in ſignum agniti erroris, humiliter veniam petat.

In omnibus Monaſterijs, in quibus ſeptem Canonici reſidere ſolent, matutinum, & ſingulæ Horę ſuis temporibus in Choro conuentualiter dicantur, & illis recitandis omnes Canonici, quicunque ſint, aſsiduè interueniant: & nullo modo permittãt prælati, aliquam partem Diuini Officij, quocunque tẽpore per duos Canonicos etiam in Choro recitari. Vicarij locorũ in primis ſtudeant, vt hæc conſtitutio ſeruetur, & vbi huiuſmodi conſtitutio non ſer-

uabitur. Vicariatus ad nullum effectum illis suffragetur. Caueant etiam Prælati, ne suos subditos huc; & illuc vagari, & proprias Ecclesias debitis seruitijs destitui patiantur.

In festis solennioribus cantetur ex Matutino Inuitatorium cum primo nocturno, Te Deum laudamus; & ex Laudibus Capitulum cum sequentibus vsque ad finem; ex Horis Canonicis Tertia, Nona, Vespere, & Completorium. Alijs diebus festiuis ex Matutino cantetur Hymnus; ex laudibus Capitulum cum sequentibus; ex Horis Tertia, & Vespere; alia verò ad libitum superioris.

Quidquid cantandum erit, aut cantu plano, vulgò, Canto fermo, appellato, aut cum Musica formata cantetur.

Dùm Horæ matutinæ, ac vespertinæ recitabũtur super altare luminaria sint accẽsa, duo, vel quatuor, aut plura iuxta officij diuersitatem. Quibus autem horis ad diuina officia Canonici conuocari debebunt; Sacrista in propria tabella in Sacristia manente adnotatum habebit.

Ad Officium Vicarij spectabit curare, vt omnia supradicta, ad modum celebrandi Diuinum Officium spectantia, ad vnguem seruentur. Quare Rubricas, & Cæremonias ad hoc spectantes, & modũ rectè canendi, & psallendi ipse Vicarius in primis scire, & alios docere, & errantes corrigere debebit, quæ qui præstare minimè valebit, ab officio Vicariatus tanquam minus idoneus remouendus erit.

Qui ex legitima causa è Choro discedere voluerit,

rit, in medium Chori procedens versus maiorem de Choro manu pectori admota inclinatus ab eo exeundi licentia petat, & expectet. Qui verò ex rationabili causa Diuinis Officijs in Choro recitandis minimè interesse poterunt, extra Chorum opportuno tempore ipsum Diuinum Officium integrè, & attentè studebunt recitare: cùm non solùm Canonici in sacris constituti, sed etiam alij omnes nostræ Congregationis Clerici professi ratione Canonicæ, & beneficiorum (quæ licèt in communi, verè tamen sicut alij Clerici beneficiati obtinemus) sub pœna peccati mortalis ad Diuinum Officium integrè recitandum, quotidiè obligentur.

De modo terminandi Diuina Officia, & quotidianis Capitulis culparum. Caput XIII.

ABsoluto Diuino Officio, & in eius fine Antiphona in honorem Beatæ Virginis pro tẽpore dicenda deuotè recitata, post breuem morulam maior in Choro incipiat Antiphonam, Si iniquitates, &c. statim verò, Cantore incipiente Psalmum, De profundis, &c. omnes surgant, & eundem Psalmum alternatim prosequentes bini, & bini minoribus præcedentibus, oculos modestos, & castigatos tenentes, Ecclesiam exeuntes Capitulum ingrediantur. Expletó Psalmo dicatur in fine, Gloria Patri, &c. repetita Antiphona, Si iniquitates obseruaueris Domine; Domine quis sustinebit? Dica-

tur per Hebdomadarium Pater noſter; reliqua verò ſecretè proſequendo, dicat alta voce, Et ne nos, &c. Reſp. Sed libera nos à malo: Verſus, Saluos fac ſeruos tuos. Reſp. Deus meus, &c. Verſ. Domine exaudi, &c. Reſp. Et clamor meus, &c. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oratio, Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul, & mortuorum, & in fine, Per Chriſtum Dominum noſtrum, & Diuinum auxilium. &c.

Si in Capitulo adſit Prælatus, aut Vicarius, omnes finita oratione genuflectant, & minoribus incipientibus, de proprijs culpis, & negligentijs ordinarijs, publicis tamen & notorijs, præſertim quas in Diuinis Officijs recitandis admiſerant, humiliter ſeſe acuſabunt. Cum quis de ſuis negligentijs ſe ipſum eſt accuſaturus, dicat prius genuflexus coram Prælato, aut Vicario, Benedicite, & Reſp. Deus, ſuam accuſationem proſequatur. Hic mos terminandi Diuinum Officium ſemper ſeruetur, præterquam in Matutino, quo abſoluto Pſalmus, De profundis, pro animabus Defunctorum, cum oratione, Abſolue quæſumus Domine, dicendus erit, & tunc Canonici in Capitulum non progredientur, nec etiam poſt dictum Completorium.

De Antiphona in honorem B. V. quolibet sero cantanda, & Litanijs quolibet Sabbatho in honorem eiusdem B. V. similiter cantandis.

Caput XIV.

VEtustissima consuetudo nostræ Congregationis vbique retineatur, vt quolibet sero post expletum Completorium Antiphona in honorem B. Virginis Mariæ, quæ iuxta temporum varietatem solet in fine Officij recitari, ab omnibus Canonicis nostris conuentualiter congregatis in Choro, deuotè cantetur, vel ante aliquod Altare in honorem ipsius B. V. dicatum. Eidem verò Antiphonæ decantandæ omnes Canonici, & Conuersi, ac etiam Oblati, cessante graui impedimento, interesse debebunt. quod vt commodè fieri possit paulò antequàm illa sit inchoanda, Sacrista, cum Campana signo facto, omnes, vt ad Ecclesiam conueniant, oportunè admonebit; qui ex negligentia ad laudandam Beatam Virginem non conuenerit, pro qualibet vice dicat suam culpam in Capitulo, vel in Refectorio, & à Patre emendetur.

Singulis sabbathis in sero Litaniæ in honorẽ Beatæ Virginis ab omnibus Canonicis, & Conuersis in Ecclesia conuentualiter congregatis, & genuflexis ante Altare in honorem eiusdem Beatæ Virginis dicatum, deuotè cantentur, cum oratione de Beata

Vir-

Virgine, pro Illustrißimo Protectore, & pro Prælatis, & Congregationibus illis commißis: id autem fiat post absolutum Completorium, quo faciliùs quisque ad illas valeat conuenire. Interesse autem dictis litanijs, quacunque excusatione remota, teneantur omnes siuè Prædicatores, siuè Lectores, siuè Procuratores, siuè alio quolibet priuilegio, aut officio insigniti, & si quis die illa domo exierit, studeat omninò tàm maturè domum reuerti, vt poßit adesse, cum prædictæ litaniæ decantabuntur. Qui autem non interfuerit, faciat pro qualibet vice disciplinam vnam in Refectorio, nec cum aliquo Prælatus valeat vllo modo dispensare. Demùm meminerint omnes existentes de corpore nostræ Congregationis, ipsam B. Virginem esse eiusdem nostræ Congregationis, præcipuam tutelarem, & ideò sese ad illam colendam totis viribus studeant excitare.

De quibusdam festis in nostra Cōgregatione specialiter celebrandis, & nonnullis commemorationibus faciendis. Caput XV.

Eug. IV. Sixt. IV.

CVm iuxta Apostolica priuilegia omnes Canonici nostræ Congregationis sint verè Canonici Sacrosanctæ Patriarchalis Ecclesiæ Lateranensis, & nostra Congregatio, Saluatoris Lateranensis Congregatio nuncupetur, statuimus, vt

quemadmodum à maioribus nostris hactenus fuit obseruatum, festum Dedicationis eiusdem Basilicæ Saluatoris Lateranensis, quod die nona mensis Nouembris agitur, in tota Congregatione, sub ritu duplicis maioris, cum sua octaua celebretur, & in eius vigilia integrum ieiunium seruetur.

Festum quoque Sanctissimi Patris nostri Augustini die vigesima octaua Augusti occurrens, maiori, qua fieri poterit, deuotione, & solennitate celebretur, Fiat illius proprium Officium ipsa die, & per totam octauam iuxta Apostolica priuilegia nobis indulta. In vigilia eiusdem festi tanquam Patroni, & titularis totius Congregationis ieiunium de præcepto seruari debebit. Quolibet die, quo in Officio, commemorationes, & suffragia fieri consueuerunt, fiat commemoratio de Saluatore, & de D. Patre Augustino, iuxta morem Congregationis. Festa autem Sanctorum Religionis nostræ, fiant sub Officio duplici, iuxta Pij Quinti indultum, & in matutinis Hymnus, Te Deum, decantetur. Pius V.

Quotiescunque aliquod Festum titulare alicuius Monasterij nostræ Congregationis occurret; omnes existentes de familia illius Monasterij, in die vigiliæ eiusdem festi integrum ieiunium seruabũt. De Sanctis verò titularibus Ecclesiarum, & Monasteriorum nostræ Cõgregationis, fiat Officium sub ritu semiduplici in tota Congregatione, nisi aliter secundùm Rubricas Breuiarij, fieri contingat. Et si verò dies festi titularium Sanctorum, cuiusque Monasterij solenniter sint celebrandi; Patres tamen

Mona-

Monaſteriorum à ſuperfluis ſumptibus tàm in muſicis ex locis diſtantibus aduocandis, quàm in conuiuijs omninò cauebunt.

De Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequenti ſuſceptione. Caput XVI.

PAtres Monaſteriorum diligenter inuigilent, vt illorum ſubditi ſaltem ſemel in hebdomada, per Sacramentalem Confeſsionem, proprias conſcientias à peccatis expurgent. Sacerdotes, qui quot die ſacrum faciunt, meminerint decreti Sacri Concilij Tridentini, quo cauetur, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumcunque ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſsione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus etiam ab ijs ſacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, Sancta Synodus ſeruandum eſſe decreuit: modò non deſit illis copia Confeſſoris. Quòd ſi neceſsitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſsione celebrauerit, quamprimum poterit, confiteatur.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.

Statuatur à quolibet Prælato certus numerus Sacerdotum, qui ſufficiant ad ſubditorum confeſſiones commodè audiendas, qui ſint prudentes, docti, & charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

uerit, prout in decreto Clementis Papæ Octaui cōtinetur: quod Decretum circa reſeruationem caſuum, & facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis tàm Prælati, quàm Confeſſarij diligenter obſeruēt. Clem. VIII ann. 1553. die 26. Ma.

Nullus Sacerdos confeſſiones etiam eorum, qui ſunt de corpore noſtræ Cōgregationis, audire præſumat, niſi ex ſpeciali licentia ſui Prælati, nullus etiā ſubditus alicui confiteatur, niſi ijs, qui à ſuo Prælato illi fuerint in Confeſſarios deputati; aliòquin abſolutionem Sacramentalem non conſequatur. Ipſius autem Prælati partes erunt, ſcire, cui Sacerdoti quiſque ſubditorum confiteatur, & curare, vt quilibet ſuum ordinarium Confeſſarium habeat, nec liceat eum ſæpius mutare.

Cum quis ex noſtris de loco ad locum mittetur, niſi ſit Prælatus, illis tantùm Sacerdotibus poterit confiteri, qui in ſingulis locis per Patres Monaſteriorum erunt in Confeſſarios deputati; excepto ſi quis ſit cum proprio Prælato, cui ſi voluerit, poterit confiteri: ſi autem noluerit, de illius licentia alicui ex deputatis à Prælatis locorum confiteatur. Prælati omnes quem maluerint ex Canonicis noſtræ Congregationis ſibi in Confeſſarium poſſint eligere. Similiter Canonicis noſtris in Villis extra Clauſtra degētibus Prȩlati ex aliqua rationabili cauſa poſſint concedere facultatem cōfitendi alicui Sacerdoti extra Cōgregationem ex approbatis ab illorum Ordinarijs, quod etiam Abbas Generalis, & Viſitatores tempore viſitationum cuilibet ex Canonicis, & Cōuerſis noſtris rationabili cauſa concedere poterunt.

Iter agentes si ob sacrum faciendũ confiteri voluerint, & Sacerdotem nostri Ordinis nõ habuerint, cuiuis Sacerdoti honesto confiteri valebunt, approbato tamen à suo Ordinario, nisi ex malitia vsque in illud tempus, quod desit illis copia Sacerdotum nostræ Congregationis, ipsam confessionem distulerint; quia tunc beneficium Sacramentalis absolutionis (nisi fortè in casu vrgentis necessitatis) non consequentur. Extra prædictum casum nullus ex nostra Congregatione, siuè subditus, siuè Prælatus alicui Sacerdoti, qui non sit de gremio nostræ Congregationis, confiteatur, aliàs non sit verè absolutus.

Illud etiam Prælati diligenter cũrabunt, vt saltẽ qualibet die quintadecima singuli de illorum familijs, qui Sacerdotes non erunt, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotè suscipiant, nec non in festis Natiuitatis D.N. Iesu Christi, Circuncisionis, Epiphaniæ, in Cœna Domini, in festo Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in festo Corporis Domini, in festis Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & D. Patris Augustini, omnium Sanctorum, & Dedicationis Basilicæ Saluatoris, & in omnibus Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ: in quibus omnibus diebus generalis Communio fieri debebit in Missa Conuentuali, ad quam omnes Clerici, Conuersi, & Oblati simul conueniant; illud aduertẽtes, vt iuxtà

Rubri-

Rubricas Cœremonialis Romani, maiores prius communicent, deinde minores.

De Missarum celebratione. Caput XVII.

IN omnibus Monasterijs, in quibus decem Canonici solent residere, quotidie Missa conuentualiter cantetur: vbi verò saltem septem Canonici adsunt, singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto eadẽ Missa cõuentualiter cantetur, vbi verò fuerint duodecim Canonici, in festis solennioribus eadem Missa cum Diacono, & Subdiacono solenniter indutis celebretur, quolibet sabbatho non impedito aliquo festo de præcepto cantetur Missa de Beata Virgine, etiamsi septem tantùm Canonici ibi adsint.

In Missarum celebratione, & cæremonijs, quæ fieri debent in Missis solennibus, & alijs similibus Rubricæ Missalis, & Cæremonialis Romani seruentur; studeantque locorum Vicarij, vt eædem Rubricæ, & Cęremoniæ exactè ab omnibus seruentur.

Abbates, & alij Prælati vsum Pontificalium habentes, saltem semel singulo triennio Missas solennes cum pontificalibus insignibus celebrare debebunt; in Ecclesijs autem insignioribus saltem semel quolibet anno id fieri conueniet.

Inuigilent etiam Patres Monasteriorum, & illorum Vicarij, vt singulis diebus dicantur Missæ, ad

quas dicendas, vel ex antiqua conuentione, vel ex recenti eleemoſynarum perceptione illorum Monaſteria obligantur. Sacerdotes omnes, legitimo impedimento minimè impediti, quotidie ſacrum facere debebunt, iuxta ſuperioris arbitrium: In quolibet loco libellus à Sacriſta teneatur, in quo notētur Miſſæ, quas ſinguli Sacerdotes quolibet die celebrābunt, adnotato etiam nomine cuiuſlibet Sacerdotis celebrantis; quem librum Patres Viſitatores tempore viſitationum diligenter examinare debebunt; Prælati non obſeruantes, nec obſeruari facientes hanc conſtitutionem grauiter puniantur.

Nullus Sacerdos ob mercedem, vel eleemoſynas extra noſtras Eccleſias Miſſam audeat celebrare, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per annū, exceptis Sacerdotibus, qui animarum curæ extra Clauſtra erunt deputati.

De Catalogo obligationum, & frequenti commemoratione Benefactorum noſtræ Congregationis. Caput XVIII.

NE noſtræ Congregationis benefactores ſpe ſuffragiorum, quæ ex nobis iure poſtulant, defraudentur, habeatur in qualibet Sacriſtia in loco conſpicuo tabella, in qua adnotatus ſit Catalogus omnium Miſſarum, vel Officiorum, ad quæ dicenda quocunque modo ſingula monaſteria, & Ec-

& Ecclesiæ nostræ Congregationis obligantur. Sitque in ipsa tabella distinctè adnotatum, quo die quælibet Missa, vel Officium, & ad quod Altare, & pro quibus dici debeat, & an ritu solenni, vel priuato; & dicta tabella in ipsa Sacristia perpetuò seruetur iuxta morem antiquum nostræ Cógregationis.

Si ob festum aliquo die occurrens, Missa, vel Officium pro aliquo defuncto eo die, quo dicenda esset, minimè dici posset, id per Sacristam adnotetur, & die sequenti similiter non impedito aliquo festo dici debebunt. Quolibet anno fiant Anniuersaria pro animabus Summorum Pontificum benefactorum nostræ Congregationis Martini Papæ Quinti, Eugenij Quarti, Sixti Quarti, & Pij Quarti.

Vbi quotidianæ, aut saltem frequentiores eleemosynæ percipiuntur pro Missis celebrandis, sit in Sacristia liber ad hoc specialiter præparatus, in quo singulæ Missæ dicendæ distinctè adnotentur; quæ cum dictæ fuerint, in eodem libro, aut in alio similiter ad hoc præparato distinctè id adnotetur: non autem maiores eleemosynæ pro Missis dicendis à populis percipiantur, quàm sit numerus Missarum, vel per nostros Sacerdotes, vel per externos, in nostris tamen Ecclesijs verosimiliter dicendarum.

Patres Monasteriorum, & in eorum absentia Vicarij cum Canonicis nostris conuentualiter cógregatis faciant frequenter commemorationem omnium, & singulorum nostræ Congregationis Benefactorum, illorum præsertim, qui Monasteria fundauerunt, vel redditibus donauerunt; quos oratio-

nibus

nibus fratrum cum multo affectu plurimum commendabunt. Eorum verò ſinguli fratres in ſuis apud Deum orationibus ex animo meminerint, illud recolentes, quòd Sacerdotes peccata populorum comedunt, ſcilicet oblationes populorum, vt pro peccatis illorum apud Deum ſuis precibus intercedant.

De Valetudinario, & cura Infirmorum. Caput XIX.

Dec. Clem. PP. VIII. de ref. reg. 31.

SIcut in Regula præcipitur, ægrotantium diligens cura haberi debet. In omni Monaſterio, ſi loci amplitudo id permiſerit, ſit Valetudinarium in loco ſalubri, & oportuno à Dormitorio ſeparatum, in quo omnes Fratres, ſiuè Canonici, ſiuè etiam Conuerſi, cum ægrotabunt, curari debebunt; nec indè niſi recuperata ſanitate abire permittentur. Cura infirmorum vni, vel pluribus iuxta exigentiam à Patre demandetur, qui omni charitate, & ſedulitate operam præſtabunt, ne quid ægrotis deſit, quod ad ſanitatem recuperandam eos valeat iuuare.

Qui malè ſe habere ſenſerit, Superiori, vel Infirmario ſtatim id nuntiabit, qui curabunt, vt in loco Infirmariæ ponatur, & de conſilio medicorum diligens cura recuperandæ illius ſanitatis habeatur. Nemo tamen, inſcio Superiore, vel Præfecto Infirmorum, Medicum aduocet, vel medicamentum accipiat.

Ne

Ne quid ægrotis omnino desit, quod ad eos solandos, & ad sanitatem recuperandam prodesse possit; ipsi Prælati saltem semel quolibet die illos visitabunt, & sæpiùs id facient Vicarij. Si Prælati, aut Vicarij, aut Oeconomi ex odio, vel auaritia, vel ex alia causa curam Infirmorum neglexerint, & pro posse non curauerint, vt cum omni solicitudine, & charitate illis inseruiatur, & non procurauerint, ea illis ministrari, quæ de consilio medicorum danda erunt, & non fecerint, quod in ipsis erit, vt Infirmi adiuuentur medicamentis, solatio, & precibus Fratrum illis iugiter assistentium, tempore visitationum Patres Visitatores de hoc diligenter inquirant, & illos ab officijs per annum suspendant & grauioribus etiam pœnis irremissibiliter puniantur.

Et quia prius animæ, quàm corporis saluti semper studere debemus, cũ primùm aliquis ægrotare cœperit per Prælatum, aut Vicarium, vel maiorem ex Canonicis admoneatur, vt per Sacramentalem confessionem propriam conscientiam expurget, & animæ sanitatem a Deo per Sacramenta humiliter procuret, & sic præmissa confessione Sacramentali à medicis curetur. Dabìtque operam Prælatus, & Vicarius, vt ægrotus integram pecuniarum, si quas habet, creditorum, rerumque omnium, quæ reuelandæ sunt, reuelationem faciat, ne ipse tanquam proprietarius moriatur, & Monasterium pecuniarum, rerumque illarum, iacturam patiatur. Hæc etiam Prælati cum ægrotabunt in primis obseruare stude-

ſtudebunt. Ægrotantes patientiam, & humilitatem præſeferant verbis pijs, & ad ædificationem vtantur quæ oſtendant, ægritudinem ab ipſis, vt donũ de manu Creatoris acceptari, cuius eſt donum non minus ægritudo, quàm ſanitas. Quia verò infirmi ſæpè noxia appetunt, ſuccurratur eis ad præſcriptũ regulæ de conſilio Medicorum.

. Si morbus ingraueſcat, & mortis periculum imminere timeatur, iterum per Sacramentalem confeſſionem, cum vera cordis contritione, & humilitate infirmus propriam conſcientiam expurgare nitatur, deinde congregatis ſimul omnibus Fratribus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum illi deferatur per modum viatici, quo contra Dęmonum inſidias, & tentationes muniatur, ac deinde morbo excreſcente, Sacramentum extremæ vnctionis deuotè ſuſcipiat.

Cùm quis morti propinquus eſſe videbitur, Pater Monaſterij omninò efficiat, vt ſaltem duo ex noſtris Canonicis, quorum alter ſit Sacerdos, die, noctùque illi aſſiſtant: hi de rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus cum illo loquentes, eum in diuina miſericordia optimè ſperare hortabuntur, & illis auxilijs, quibus eo tempore maximè indigebit, totis viribus iuuare conabuntur; ſic verò ægrotantem Pater Monaſterij peculiaribus orationibus omnium domeſticorum ſedulò adiuuari procuret. Si contingat ægrotum diutiùs etiam ſine vitæ periculo decumbere curabit tamen Prælatus, vt frequenter ſua peccata confiteatur, & quo frequentius fieri

pote-

poterit, etiam Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento reficiatur.

Cum quis ex noſtris infirmabitur, nullo modo permittatur ad domos ſecularium etiam conſanguineorum, & propinquorum accedere, vt ibi curetur. Si tamen contingat, dum aliquis de loco ad locum mittetur, in itinere infirmari, in omnibus Monaſterijs noſtris cum humanitate, & charitate tractetur; & Monaſterium ex quo diſceſſerat, omnibus expenſis, quas cauſa huiuſmodi ægritudinis fieri continget, ſubiacebit. Similiter ſi contingat Abbatem Generalem, Patres Viſitatores, eorum ſocios, Conuerſos, & famulos extra loca illorum reſidentiæ ægrotare, cum omni humanitate, & charitate tractentur, & Monaſteria, quorum familijs erunt adſcripti, expenſis, quæ fient cauſa huiuſmodi ægritudinis, ſubiacebunt.

De ſepultura, & ſuffragijs Fratrum defunctorum. Caput XX.

QVia non debemus ab illis poſt mortẽ officijs charitatis diſiungi, quibus in hac vita per religioſam conuerſationem iungebamur, cum aliquis ex noſtris, Deo diſponente, ex hac vita deceſſerit, ablutum de more illius cadauer, & religioſo habitu indutum cum ſolenni proceſsione, cui omnes de familia omninò interſint cum Cruce, luminaribus, & alijs requiſitis iuxta

formam Ritualis Romani deferatur ad Ecclesiam, vbi tamdiù insepultus maneat, donec inter eius obitum, & sepulturam, nisi iusta causa impediat, integer dies naturalis intercedat. Interim per Canonicos loci integrum Officium Defunctorum cũ Missa solenni cum Diacono, & Subdiacono pro eius anima decantetur. Et similiter die 3.7.& 30. Missa Defunctorum pro eadem anima conuentualiter cãtetur, cum Responsorio in fine super Defuncti tumulum iuxta morem Congregationis. Quilibet Sacerdos existens de familia loci, in quo quis decedet, dicat pro illius anima triginta vicibus Missam Defunctorum, vel toties memoriam de eius anima in sacrificio peragant. Clerici integrum psalterium cũ versu Requiem æternam, in fine cuiuslibet psalmi; Conuersi, & oblati tercenties Pater noster, & Aue Maria similiter deuotè recitabunt.

Vt primùm in aliquo Monasterio quis decesserit, Prælatus, vel eo absente, Vicarius per literas Abbatem Generalem, ac etiã Visitatores de illius obitu certiores faciet; qui similiter omnes locorum Prælatos de eiusdem interitu admonebunt, & illi proprios subditos; & sic prima die non impedita in quolibet Monasterio vna Missa pro eius anima cantari debebit cum Vesperis, & vno nocturno, & laudibus Defunctorum. Quilibet Sacerdos pro eius anima tribus vicibus sacrum faciat. Clerici tribus vicibus Psalmos Pœnitentiales, vel Officium Defunctorum: Conuersi, & oblati centies Pater noster, & Aue Maria deuotè dicant. Quæ omnia vt exactè obser-

obſeruentur, curent Patres locorum, & illorum Vicarij, vt in ſingulis Monaſterijs in Choro, & in Sacriſtia teneatur Catalogus ſingulorum quolibet anno in noſtra Congregatione Defunctorum.

Antiqua etiam conſuetudo retineatur, vt qualibet prima die menſis non impedita dicantur in Choro Veſpere cum vno nocturno, & laudibus Defunctorum, & die immediatè ſequenti Miſſa pro animabus fratrum propinquorum, & benefactorũ noſtræ Congregationis cantetur. Suffragia verò, ſiuè Miſſarum, ſiuè Officiorum, quæ in ſingulis locis pro animabus Benefactorum noſtræ Congregationis fieri debebunt, integrè, & quamprimùm fiãt, ſicut dictum eſt in Capitulo de Catalogo obligationum.

Nulli ſeculari etiam benefectori noſtræ Congregationis concedatur, vt cum habitu noſtro ſepeliatur ſine expreſſo conſenſu totius Capituli. Nulli etiam concedatur in noſtris Eccleſijs ius perpetuæ ſepulturæ ſine expreſſa licentia Abbatis Generalis, & expreſſo conſenſu Capituli Monaſterij, in quo eiuſmodi ſepultura eligenda erit.

De Silentio. Caput XXI.

CVm ſcriptum ſit, In multiloquio non deerit peccatum, volumus vt extra tempora religioſæ recreationis in noſtris Monaſterijs certis locis, & temporibus, ſilentium ita inuiolabiliter ſeruetur, vt nemo alterum alloquatur, niſi obi- Prou. 10.

ter, & ſubmiſſa voce, & pauciſsimis verbis, ac de rebus tantùm neceſſarijs. In Choro, Eccleſia, & Sacriſtia perpetuò ſilentium ſeruetur, præſertim cum diuina officia recitabuntur, & cum Miſſa cantabitur, aut priuatim dicetur, vel conciones, & ſermones ad populos habebuntur, & ſimiliter in Refectorio, cum Fratres communi refectione interuenient. Si nonnullis diebus videbitur Patri, cauſa honeſtæ recreationis, ſilentium in Refectorio eſſe diſpẽſandum, id non ſiat niſi rarò, & poſtquam de Sacra Scriptura, vel alio libro ſpirituali de more aliquid lectum fuerit, in Refectorio omnes ſubmiſſa voce, & modeſtiſsimè loquantur: Prælati, qui frequentiores fuerint in diſpenſando ſilentium in Refectorio, à Patribus Viſitatoribus corripiantur.

In Dormitorio ſimiliter ſilentium ſeruetur, prę-ſertim ſigno ſilentij, & dormitionis, per Sacriſtam pulſato, donec alio ſigno facto, omnes excitentur: nimirum in nocte poſt ſignum ſerotinæ dormitionis vſque ad ſignum ſurgendi ad matutinum, & in die à ſigno poſt prandium facto vſque ad horã nonam; quæ ſigna ſtatutis horis idem Sacriſta cum cãpanula, cum qua Capitulum conuocari ſolet, quotidie dare debebit. Qui iuxta præſentes Conſtitutiones ſilentium non ſeruauerit, pro qualibet vice dicat ſuam culpam in Refectorio, & Miſerere brachijs extenſis tempore communis refectionis.

In cęteris locis, & temporibus, in quibus loqui conceditur, ita loquendum erit, vt verba ſcurrilia, otioſa, & riſum mouentia perpetua clauſura à no-

ſtris

ſtris Monaſterijs, arceantur. Turpitudines ſtultiloquia. maledicta, & murmurationes, & ſimilia, nec nominentur in nobis, vt Apoſtolus præcipit, contrauenientes pęnis in 2. parte ſtatutis puniantur. Ad Eph. 5.

Cum Frater Fratrem alloquetur, præmittat, Deo gratias; cum Inferior Superiorem, præmittat, Benedicite. Omnes demiſſa voce loquantur; nemo cum altero contendat, ſed ſi ſit de aliqua re inter Fratres diuerſa ſententia, quemadmodum in diſputationibus ſolet euenire, nullus vocem attollat, nec acrioribus verbis propriā ſententiam tueatur; ſed rationes ſic modeſtè afferat, & eo animo, vt veritati ſit locus, non vt cęteris in ea re ſuperior videri velit.

Cum ægrotos ex debito charitatis inuiſere oportebit, non ſolùm ita loquēdum erit, vt illis minimè moleſti ſimus; ſed de ijs dumtaxat, quibus ægrotum conſolari, & ædificare in Domino valeamus. In locis verò, in quibus ægroti manebunt, nullius de rebus, quæ ad profectum animæ non conferant, vllo modo loquatur.

De Reuerentia ad inuicem exhibenda, & modeſtia in omnibus ſeruanda. Caput XXII.

IN omni conuerſatione tàm cum noſtris, quàm cum externis, præceptum Apoſtolicū ſeruetur, Modeſtia veſtra nota ſit oībus hominibus. In omnibus actionibus appareat humilitas; caput non leuiter moueatur; oculi vt plurimū ſint demiſsi, veſtes Ad Phil. 4.

ſtes mundæ cum religioſa decentia; inceſſus moderatus, omnes motus, & geſtus ita compoſiti, vt cum maturitate, & grauitate apud omnes ædificationem pariant. Cum frater fratrem alloquuturus erit, vel de aliqua re tractaturus, ſtudeant ſe ſe honore ad inuicem præuenire. Quiſque omninò caueat, nè conuitio, vel ſupranomine alterum in loquendo offendat, & ad iracundiam prouocet. Conuerſi vocentur fratres, Clerici Domni, Sacerdotes Patres. Nullus ſiuè Conuerſum, ſiuè Clericum, ſiuè Sacerdotē alloquendo pronomine, tu, vtatur, vt ſplēndor regularis diſciplinæ in omnibus effulgeat.

Omnes cum ſuos maiores obuios habuerint, caput illis retergant. Sacerdotibus ij, qui Sacerdotes non erunt, & Sacerdotes ad inuicem, & diſcipuli Magiſtris. Subditi coram Prælato ſurgant, & ſimiliter Cōuerſi, & Clerici coram Sacerdotibus, nec iniuſsi ſedeant: vnuſquiſque ſuos Superiores alloquatur cum magna reuerentia, ille, quem Superior reprehenderit, audiat humiliter ſine interpellatione.

Cum Fratres gratia honeſtæ, ac religioſæ recreationis aliquando conuenerint intus, vel extra Clauſtra, à clamoribus, & omni ſpecie diſſolutionis prorſus cauebunt; non ſe manibus per iocum tangent, non contendēt verbis, neque aliquid, quod religioſæ modeſtiæ fines tranſcendat, admittent. Contrafacientes comedant pro qualibet vice in medio refectorij panem, & aquam tempore communis refectionis.

Nè ſub ſpecie virtutis, aut honeſtæ recreationis diſſo-

dissolutiones in Claustris nutriantur, nullus Canes, qui ad delitias teneri solent, in nostris Monasterijs teneat, sub pœna vnius disciplinæ in Refectorio faciendæ, & Canes ab illo statim auferantur. Comediarum recitationes in nostris Claustris omninò interdicuntur, sacræ autem repræsentationes, in quibus Domini nostri Iesu Christi vita, & mors; aut Beatæ Virginis, aut aliorum Sanctorum publicæ repræsentantur, si videbitur Superioribus, ita permittantur, vt superflui sumptus, qui ad pompã, vel ostentationem, aut oblectationem in eiusmodi solent interuenire, omninò euitentur.

De Refectorio, & communi refectione. Caput XXIII.

SIt in quolibet Monasterio commune Refectorium decens, & mũdum, vbi omnes tàm Prælati, quàm subditi, cessante legitimo impedimento, statutis horis ad refectionem cum benedictione, & gratiarum actione percipiendam simul conueniant. Cum hora communis refectionis aderit, per eum, qui refectorio præerit, signo facto cum parua campanula, omnes admoneantur, vt sese à negotijs expedientes ad communem refectionem simul studeant conuenire. Omnibus verò paratis, & altero signo facto cum campanula, omnes statim conueniant, manus abluant, & cum silentio in Refectorium ad propria loca vadant; in quibus stantes tamdiù expectabunt, donec per patrem, aut maio-

rem

rem ex Canonicis mensæ benedictio inchoetur. Dũ autem ad mensam conuenient, interim paruum tintinnabulum, quod super mẽsam Prælati pendere solet, morosè pulsetur, vt singuli intelligant, se ad communem refectionem expectari.

Facta benedictione Lector mensæ dicto, Iube Domne benedicere, tamdiù stet genuflexus, donec signum surgendi à maiori ex Canonicis illi fiat; & tunc vadat ad pulpitum, lecturus quidquid eo die, & hora legendum erit. Interim Canonici in suis sedibus secundùm ordinem maioritatis, & minoritatis inter eos seruandum, de quo in tertia parte dicẽdum erit, se sistent, & non prius sedebunt, quàm dicta Salutatione Angelica, signum sedendi à Prælato eius fiat. Postquam etiam ad mensam sederint, nihil cibi, vel potus percipiant; nisi postquam aliquid de Sacra lectione auscultauerint, & tunc demùm licentiæ comedendi omnibus per patrem detur.

In mensa siuè prima, siuè secunda sacra lectio semper habeatur: vt non solùm fauces sumant cibũ, sed & aures esuriant Dei verbum. In prima mensa legatur aliquid de Sacra Scriptura, vel de Homilijs Euangeliorum occurrentium, vel de regula, vel de libro præsentium Constitutionum; in secunda verò mensa de aliquo libro vulgari idiomate scripto, quod ad vitæ regularis perfectionem conferat, legendum erit.

In Refectorio silentium seruetur, cesset in eo omnis strepitus. Si quid petendum sit nutu, vel signo petatur, vel ita submissa voce, vt circumstantes ab audien-

audienda ſacra lectione non impediantur. Omnes in Refectorio ſtent cum modeſtia, oculos demiſſos teneant, ea ſolùm proſpicientes, quæ illis appoſita fuerint. Qui vinum in menſa effuderit, vel aliquod inconueniens admiſerit, ſurgens tamdiù ſtet inclinatus, donec ſigno facto per Patrem, licentia ſedendi ei detur.

Externi ſiuè Seculares, ſiuè etiã Religioſi, in Refectorium ad veſcendum nobiſcum minimè introducantur; niſi ſint domeſtici noſtri, & ita probatæ vitæ, vt meritò ab omnibus introducendi videãtur: ſi contingat aliquem exterorum in Refectorio nobiſcum comedere, nullus ibi faciat aliquam pœnitentiam, niſi fortaſſe in eius præſentia deliquerit; nomine verò exterorum illi intelliguntur, qui non ſunt de gremio noſtræ Congregationis.

Omnes etiam Superiores quicũque illi ſint, eodẽ pane, eodem vino, eodem obſonio, ſiuè eadem, vt aiunt, pitantia in communi menſa, niſi cauſa infirmitatis impediti fuerint veſcantur, nec quiſquam ſingulare aliquid, quo priuatim in cibum vtatur, in Refectorium afferre poſsit, præſertim diebus ieiuniorum. Victus, & potus à Prælato, & miniſtris, quibus id incumbet, omnibus ſufficienter prouideatur, prout cuique opus fuerit. Cum carnibus veſci licebit, ſingulo die cuilibet Canonico duodecim vnciæ carnis ad minus diſtribuantur, & hæc quantitas augeri poſsit, & non minui; Reliquis diebus proportionabiliter ad prędictam quantitatem obſonium, ſiuè pitantia, ſingulis diſpenſetur.

Dec Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 10.

Facta refectione fiat signum à patre, vel maiore ex Canonicis cum tintinabulo super mensam Prælati pendente, post breuẽ deinde morulam cum viderit nullum aliquid cibi, aut potus amplius sumere, cum eodem tintinabulo signum surgendi omnibus faciat. Cum autem omnes surrexerint, gratijs de more inchoatis, recitantes Psalmum, Miserere, vel alium iuxta temporum varietatem, bini, & bini minoribus præcedentibus per ordinẽ vadant ad Ecclesiam, si commodè fieri id possit, & nisi tunc seculares sint in Ecclesia, vbi gratiarum actiones expleant. Postea verò antiphonam in honorem Beatæ Mariæ Virginis, quæ in fine Officij dici solet, cum sequenti oratione deuotè dicant, tandemque post breuem moram Cantore incipiente Psalmum, Ad te leuaui oculos meos, eodem ordine exibunt, & Capitulum ingredientur, & facta commemoratione pro nostris Benefactoribus iuxta morem Congregationis, omnes cum silentio discedent. Hic autem mos perficiendi gratiarum actiones semper seruetur in mane post prādium. Verùm in sero post cœnam gratiarum actiones in Refectorio fient iuxta formam in Breuiario præscriptam. Quando autem ieiunium seruabitur, post collationem serotinam dicto per lectorem, Tu autem Domine miserere nobis, Dicatur Psalmus, De profundis, cum versu, Requiem æternam in fine, & dicto per Patrẽ, Requiescant in pace, & responso, Amen, omnes cum silentio discedant, minoribus præcedentibus, & maioribus sequentibus.

Quili-

Quilibet cessante legitimo impedimento ad cõmunem refectionem cum cæteris conueniat; qui domo egredientur, ita properè reuertantur, vt cum cęteris ad communem refectionem conuenire possint, secus facientes habeant Claustrum per mensẽ.

De Ieiunijs, & consuetis abstinentijs nostræ Congregationis. Caput XXIV.

QVoniam ieiunium omnium virtutum est fundamentum, & abstinentia regularis disciplinæ est nutrix, & conseruatrix, vt D. Hieronymus ait, præcipimus, vt consueta nostrę Congregationis ieiunia, & abstinentias tàm Prælati, quàm subditi pro viribus studeant obseruare. Omnes degentes sub obedientia Congregationis, præter ieiunia de præcepto Ecclesiæ, hæc quoque iuxta laudabilem consuetudinem nostræ Congregationis obseruabunt. Singulis quartis ferijs omnes ab esu carnium abstinebunt, qualibet sexta feria in memoriam Dominicæ pasionis vnica refectione contenti, perfectum ieiunium seruabunt, excepto eo tempore, quod inter Dominicam Resurrectionis, & Pentecostes intercedit; excepto etiam si festum solenne ipsa sexta feria occurrat. Toto tempore Aduentus Domini, vsque ad vigiliam Dominicæ Natiuitatis perfectum ieiunium, sicut in Quadragesima similiter seruabunt. Prædictis autem diebus ieiuniorum, si aliquid in sero causa valetu-

dinis cum potu tribuendum erit, id ſit quid minimum, & in ea quantitate, quæ ieiunium de præcepto Eccleſiæ frangere non poſsit. Contrafacientes faciant vnam diſciplinam in Refectorio pro qualibet vice. Prælati verò, hanc conſtitutionem obſeruari non facientes, & ipſi in primis non obſeruantes, ſuſpendantur per tres menſes.

A feſto Exaltationis S. Crucis vſque ad feſtum Dominicæ Reſurrectionis, feria ſecunda, & quarta, & in Sabbatho omnes ita ieiunabunt, vt ſit in poteſtate Prælati in ſero præter panẽ, & vinum aliquid aliud illis tribuere comedendum, excepto ſi in prędictis diebus aliquod feſtum de præcepto Eccleſiæ, vel populare, vel in noſtra Congregatione celebrari ſolitum occurrat; quia tunc propter feſtum, ieiunium diſpenſandum erit. In Vigilia verò D. Patris Auguſtini, quia patronus, & titularis eſt noſtræ Cõgregationis, ieiunium de præcepto ſeruetur, ſimiliter in Paraſceue nihil cocti edatur præter panem, & omnes ſuper nuda menſa in memoriam Dominicæ paſsionis veſcantur.

Cum ægrotis autem, debilibus, ſenio confectis & iter agentibus Patres Monaſteriorum, prout Charitas requiret diſpenſabunt. In reliquis omnes ita ſtudebunt carnem domare ieiunijs, & abſtinentia eſcę, & potus, quantum valetudo permiſerit, quemadmodum in Regula iubetur, & dictum Magni Baſilij pro certo habeant, omnes quotquot Deo placuerunt Sancti, ad vitam Deo dicatam per ieiunium inſtitutos fuiſſe.

Hom. 1. de laud. ieiunij.

De

De disciplina in sero Conuentualiter facienda Caput XXV.

IN omnibus nostris Monasterijs post expletum Completoriũ,& orationem mentalem eo tempore,quo oratio mentalis fiet post Cõpletoriũ, in loco cõuenienti clausis ianuis,& fenestris ad honestatem seruandam , ab omnibus conuentualiter congregatis fiat disciplina iuxta morem nostræ Cõgregationis,ad quam disciplinam faciẽdam omnes conuenient,nisi causa necessitatis,vel exercendi aliquod opus charitatis,fuerint legitimè impediti.

Hoc autẽ pacto ipsa disciplina fieri debebit, maiore incipiente Psalmum, Miserere,vel aliũ ex pœnitentialibus , & ceteris Canonicis prosequentibus eundem,& alios Psalmos ad illius arbitrium,omnes flagello in nostra Congregatione consueto,cum vera cordis humilitate,& contritione sese super renibus verberabunt . Nullus tamen alio flagello ad disciplinam faciendam vtatur,præter consuetũ in nostra Congregatione . Si quis secus fecerit, non merito,& virtuti, sed superbiæ id tribuatur, & à Patre corripiatur. Terminetur verò disciplina,Patre, vel maiore ex Canonicis inchoante Antiphonam , Da pacem Domine,& reliquis prosequẽtibus,cum versiculo, & oratione consuetis & post conuenientem moram facto signo per eũdem,apertisque fenestris, & ianua omnes cum silentio discedant . Super hac constitutione Pater Monasterij in festis solennibus,

ac nonnullis alijs diebus causa lætitiæ spiritualis, vel religiosæ recreationis poterit dispensare.

De Vestiario. Caput XXVI.

IVxta Regulam nostram sit in Monasterio commune Vestiarium, in quo vestes omnes, siuè lineæ, siuè laneæ, omnisque alia supellex pro vestitu, & accubitu necessaria seruetur sub communibus custodibus, vt inde ad Patris arbitrium, prout vnicuique opus fuerit, valeat omnibus subministrari. Nullusque vestes, aut aliam quamcunque supellectilem, præter ea, quibus actu vti cōtigerit, in cella apud se retineat; sed omnia in commune Vestiarium cōferantur, etiamsi quis hoc ipsum sit recepturus, quod antea deposuerat, vt in Regula continetur. Præficiantur verò ipsi Vestiario vnus, vel duo, vel quot sufficere possint non solùm ad vestes seruandas, sed etiam à tineis excutiendas; quod cum omni diligentia efficere debebunt. Omnium autem vestitus, & supellex ex communi pecunia comparari debebit, vnicuique decenter, & conuenienter, prout cuique opus fuerit.

Dec. clem. PP. VIII. de Refor. Reg 9.

Nullus Prælatus det subditis pecunias loco indumentorum, nec subditi à Prælatis dare volentibus eas accipiant. Prælati secus facientes priuentur prę laturis per annum, subditi verò voce actiua, & passiua similiter per annum. Teneantur nihilominus Prælati pro Vestiario cuiuslibet Canonici, & Conuersi, eam pecuniæ quantitatem quolibet anno expendi

pendi facere, quæ in quolibet Capitulo Generali fuerit taxata. Vltra eam verò quantitatem, non sit in potestate Prælatorum plus expendi facere, siuè pro se ipsis, siuè pro Oeconomis, siuè pro quouis alio: Secus facientes à Patribus Visitatoribus tempore visitationum iuxta excessus qualitatem grauiter puniantur. Teneantur etiam Prælati in singulis Monasterijs de conuenienti supellectili tàm pro cellis, & accubitu, quàm pro Refectorio, & alijs officinis, prouidere. Et Visitatores tempore visitationum super hoc diligenter inquirant; & in non obseruantes grauiter animaduertant, nè Monasteria conuenienti, & necessaria supellectili destituta remaneant.

Nullus vestimenta, aut aliam supellectilem illius vsui concessam sine licentia Superioris vendat, donet, aut alio quouis modo distrahat, siuè extraneis, siuè domesticis, contrafacientes pro prima vice faciant disciplinam publicè in Refectorio. Si relapsi fuerint priuentur habitu professionis per sex menses, nec cum eis dispensari posit. Qui rem venditam emerit, si sit Canonicus, priuetur voce actiua, & pasiua per annum, si Conuersus priuetur patientia per annum, & tàm emens, quàm vendens ipsis rebus sint priuati.

De

De communi Dormitorio. Caput XXVII.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

IN quolibet Monaſterio ſit commune Dormitorium; in quo omnes Canonici, Conuerſi, ac etiam ipſi Prælati in Cellis ſeparatis dormiāt. Nullus etiam Superior Cellas ſeparatas à communi Dormitorio habeat, niſi numerus familiæ aliter fieri cogat. In priuatis cellis nulli camini permittantur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

Supellex cellarum ſiuè Superiorum, ſiuè ſubditorum quorumcunque ſit vniformis, humilis, & ſtatui paupertatis conueniens, parietes ſint nudi. Vaſa argentea, vel aura pretioſa, Cruces etiam, & Imagines magni valoris quamuis Sanctorum ſint, nulli in priuatis cellis permittantur, nè ſub prætextu deuotionis, affectus proprietatis tegatur: de ipſa verò ſupellectili cellarum conuenienter omnibus à Patre prouideatur.

Vnuſquiſque ſingillatim in ſuo lectulo cubet, nūquam nudus, vt honeſtas ſeruetur, nemo extra proprium lectulum dormiat; ſecus facientes faciant pro qualibet vice diſciplinam publicè in Refectorio. Nullus cellā ita claudat, quin ſemper à Superiore poſsit aperiri. Nullus alterius cellam ingrediatur; ſed ſi quid dicendū ſit, ſuper ianua breuiter, & ſubmiſſa voce dicatur. Nullus ex alterius cella quidquam auferat ſine licentia Superioris, neque ſupel-

lecti-

lectilem aliorum vſui deputatam, ſuo vſui approprict, nec quæ illius vſui erunt deputata, ſine licentia Superioris alteri tradat.

Cellæ omnes ſaltem bis in anno per Prælatos viſitentur; qui diligenter caueant, ne quid neceſſarium ſubditis deſit, aut ſuperfluum ab illis teneatur: curentque ne ſubditi in cellis teneant libros, vel ſcripta, per Indicem librorum prohibitorum, vel per Edicta Sanctæ Inquiſitionis, prohibita, vel ſtatui religionis (eſto nominatim prohibita non ſint) parum conuenientia, & ad honeſtatem, & bonos mores deprauandos conducentia.

In medio dormitorij tota notte lampas accenſa teneatur. In priuatis cellis propter valetudinem Canonici alio oleo non vtantur pro vſu lucernarũ, niſi oleo oliuæ, de quo ſufficienter per Oeconomũ iubente Prælato omnibus prouideri debebit. Caucbunt autem omnes, ne candelas accenſas lectiſternijs, ligneis columnis, Oratorijs, vel ſimilibus rebus adiungant, ne Dæmone operante dormitoria comburantur. Singuli cum mane ſurgent, lectulum cooperiant, & componant; cubicula euerrant. Mundities, quæ & ad valetudinem, & ad aliorum ædificationem confert, omnibus curæ ſit.

In dormitorio, & priuatis cellis nemo cantet, aut muſicum inſtrumentum pulſet, aut alio modo ſtrepitum faciat, quo fraterna quies turbetur; ſed ſilentium ibi ſemper ſeruetur. Nemo etiam perſonas ſeculares, vel regulares alterius Ordinis illuc conducat, niſi familiariſſimas noſtræ Congregationis.

Facto per Sacristam signo serotinæ dormitionis, quilibet ad suam cellam properet, vbi facta oratione, & examine propriæ conscientiæ diligenter præmisso, vel se in suo lectulo ponat, vel orationi, meditationi, & Sacræ lectioni vacet, neque cellã exeat, nisi necessitate cogente, donec mane sequẽti ad horas matutinas iterum excitetur. Inter signum verò serotinæ dormitionis, & matutinum, saltem septem horæ integræ intercedant.

De exercitijs Canonicorum. Caput XXVIII.

Hieron. in epist. ad Rusticũ. c. Nunquã de consec. d. 5.

IVxta auream D. Hieronymi sentẽtiam, semper aliquid boni faciamus, ne Diabolus otiosos nos inueniat; est enim otium origo omnium vitiorum, & virtutum rubigo. Præter illas horas, quibus ad diuina Officia, atque orationem mentalem conueniendum erit, Canonici omnes siuè in cellis, siuè extra semper aliquid boni facient. In cellis Orationi, meditationi & Sacræ lectioni, aut etiam libris scribendis, vel quid simile boni peragendo, ad Patris arbitrium operam dabunt. Nullum tamẽ opus lucrosum sine eiusdem Patris licentia exercebunt, neque absolutum absque eiusdem licentia alienabunt, vt affectus proprietatis vitetur. Magistri, Prędicatores, & alij in scientijs versati, si aliquod nouũ opus composuerint, quod dignum æstimetur, vt ad publicam vtilitatem in lucem edatur, nullo tamen pacto id faciant sine licentia Superiorum nostræ

Con-

Congregationis ad præſcriptum Decreti Conc.Lateran.& Tridentini ſub pœnis in eiſdem contentis.

Ad ſeruandam corporis valetudinem vacabunt etiam Canonici aliquando exercitijs corporalibus, prout Prælatus iuſſerit, aut permiſerit. Nunquam tamen propter quoduis opus clericalem habitum dimittent, ſiuè intra Monaſterium,ſiuè extra.Si ad aliquod commune exercitium Canonici vocabuntur,libenter conueniant, & cum hilaritate,& promptitudine illud faciant maiori ſtudio,& frequentiori alacritate,quàm ſi quiſq; propria ſibi faceret.Ante inceptionem cuiuſlibet exercitij, omnes genufle-ctentes Angelicam ſalutationem, ſemper deuotè præmittere ſtudeant. Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo Conuentus,in qua diſtinctè adnotetur,quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſsit. Dec. clem. PP. VIII. de Refor. Reg.39.

De exercitijs Conuerſorum, & oblatorum,& de famulis ſecularibus. Caput XXIX.

Conuerſi quamuis in ijs, quæ ad Regulæ, & votorum obſeruationem ſpectant,à conſortio Canonicorum non debeant diſiungi; tamen quia eſt diuerſa illorum, & Clericorum inſtituti ratio, quippè qui vt corporalia obſequia Canonicis præſtent, principaliter ad Congregationẽ

admittuntur, ideò ad corporalia exercitia per Patrẽ Monaſterij principaliter deputari debent. Nullus ex noſtris Conuerſis Officium magnum, quod à Clericis dicitur, audeat recitare, niſi ex ſpeciali licentia Capituli Generalis id ei concedatur. Poterunt tamen ipſi Conuerſi, ac etiam oblati Officium Beatæ Mariæ Virginis paruum, & alia in eodem Officio paruo contenta, quæ laici recitare ſolent, poſtquam exercitia abſoluerint, ſibi à Patribus iniuncta, ſi tẽpus ſuperfuerit, cum deuotione recitare. Nullus Conuerſus, vel commiſſus Grammaticam addiſcat, ſed nec vllus Canonicus, illos Grammaticam doceat ſub pœna vnius diſciplinæ tàm docenti, quàm addiſcenti, quæ pro qualibet vice in Refectorio fieri debebit. Cõuerſi, & oblati etſi alicuius particularis Canonici obſequio ſint deputati, nullo tamen pacto à communibus obſequijs cæteris Canonicis præſtãdis ita abſoluti cenſeantur, vt ſi eis vacauerit, non etiam cuilibet Canonicorum debeant cum charitate inſeruire. at huiuſmodi ſocius, & miniſtes ex neceſſaria cauſa, Generalis iudicio probanda, ex eodẽ noſtro Ordine, & qui vigeſimum quintum agat annum, concedendus erit.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 17.

Famulos ſeculares in noſtris Monaſterijs tenere omninò prohibemus; ijs exceptis, qui pro ſeruitijs equorum, & equitiorum, vel coquinæ, aut ſimilium officinarum tenendi erunt. Particulares autem famulos ſeculares nullus ſiuè ſubditus, ſiuè etiã Prælatus teneat. In villis verò propter operum multitudinem, famuli ſeculares haberi poſsint.

De

De quibuſdam officijs per Patrem diſtribuendis Caput XXX.

RE tineatur conſuetudo noſtræ Cōgregationis circa nonnulla officia ſingulo menſe vel hebdomada per Prælatum Canonicis diſtribuenda, cuiuſmodi ſunt Hebdomadaria, Cantatio Miſſæ Conuentualis, & quarumdam Miſſarũ ſtatutis diebus, & horis celebratio. Cantoria, lectio ad menſam, officium inſeruiendi in menſa, vel infirmis, vel hoſpitibus, euerrendi domum, & ſimilia, in quibus diſtribuendis Patres Monaſteriorum ſingulorum conditiones, & poſſibilitatem attendant, vt quiſque officium ſibi commiſſum cum humilitate, & ſolicitudine valeat implere. Ab ijs exercitijs, quæ ad ſeruitium Chori, & Eccleſiæ ſpectant, nemo immunis cēſeatur, præſertim ab hebdomadaria, ad quam omnes etiam Vicarij teneantur; exceptis Prælatis, & Prædicatoribus, ac Lectoribus, cum in proprijs officijs actu fuerint occupati; cum ſenibus tamen, Prælati ad arbitrium diſpenſabunt.

Cum alicui officium ex obedientia iniungetur, cum omni humilitate, & hilaritate ſtudeat illud implere, etiamſi vile in eius oculis videatur, recogitans, religioſã perfectionem humilitate cōprobari. Si quis officium ex obedientia ſibi iniũctum recuſauerit, faciat publicè diſciplinam in Refectorio, & ſi contumax fuerit, pœnis inobedientiũ in ſecunda parte ſtatutis puniatur. Si tamen officiũ ſibi iniungatur,

gatur, quod putet se minimè adimplere posse, suam impossibilitatem Prælato humiliter patefaciat.

Distributio officiorum fiat à Prælato in principio hebdomadę post finem Capituli singula hebdomada congregandi. In alterius verò officium nemo se ingerat, & in alienas officinas nullus ingrediatur sine licentia Superioris. Et, vt omnia ordinatè peragantur, appendatur in loco conspicuo tabella, in qua distinctè sit adnotatum quidquid singulo die, vel hebdomada, vel mense quisque ex officio sibi iniuncto præstare debebit, præsertim in Sacristia, vbi tabella semper teneri debebit, in qua adnotetur quibus horis quilibet Sacerdos Missam celebrare debebit, vt præmonitus maiori animi pręparatione suo muneri satisfaciat. Ad Vicarium pręsertim spectabit, huiusmodi tabellam conficere, & curare, vt quisque officium sibi iniunctum diligenter exequatur.

De modo conueniendi ad communem calefactionem. Caput XXXI.

CVm frigore compellente ad ignem accedere necessè erit, sit præparatus in quolibet Monasterio locus decens, & idoneus, vbi omnes Canonici statutis horis ad calefactionem simul conueniant. In priuatis autem cellis camini nō permittantur, ijs exceptis, quibus causa senectutis, vel ægritudinis necessarij erunt, exceptis etiam cel-

lis Ab-

lis Abbatis Generalis, Prælati, & alicuius Prædicatoris, aut Lectoris. Cum Canonici ad ignem conuenient, cauebunt prorsus à vanis confabulationibus, & verbis inutilibus; quod vt fiat curabunt Patres, vt interim sermo habeatur, vel de Sacra Scriptura, vel de casibus conscientiæ, vel de regulari disciplina, & in locis studiorum, de rebus ad quotidianas lectiones spectantibus, cum modestia religiosa cessante omni strepitu, & clamore.

Facto per Sacristam signo serotinæ dormitionis omnes ab igne discedant, & cum silẽtio in proprias cellas se recipiant: Qui in loco communis calefactionis, post signum dormitionis silentium fregerit, vel ad alium locum causa calefaciendi, vel potius conuenticula fouendi sese recepisse deprehensus fuerit, comedat in terra in Refectorio.

De Claustri, & Ianuæ custodia. Caput XXXII.

QVia iuxta præceptum Apostolicum cauere debemus non solùm à malo, sed etiam à specie, & occasione mali, præcipitur, vt in omnibus nostræ Cõgregationis Monasterijs clausura perpetua seruetur, quam nullus ex nostris sine licentia egredi, nullus extraneus ingredi vllo modo possit. Sint intra clausuram Dormitoria, Refectorium, omnia cellaria, officinæ, & habitationes vsibus Canonicorum, & Conuersorum deputatæ; Dec. clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 18.

neque

neque alicui habitationem extra clausuram habere permittatur.

Ianua clausuræ semper clausa teneatur, cui à patre ianitor ex conuersis deputetur; qui eidem custodiendæ semper assistat, & neminem ingredi, vel egredi sine licentia permittat, qui propterea illam semper clausam tenere debebit.

Sit iuxta ianuam locus decẽs, in quo externi nostros Canonicos alloquuturi detineantur, donec id Prælato per Ianitorem significetur, & de eius licentia ipsi Canonici ad loquendum aduocentur, vbi etiam Canonici ipsi cum secularibus loqui debebunt, neque passim in claustrum interius, vel dormitorium, vel cellas Canonicorum introducendi erunt. In Monasterijs, in quibus duo erunt claustra, interius claustrum, quod habitationi Canonicorũ magis erit propinquum, semper clausum teneatur, nec alicui, qui non sit de familia Monasterij ingressus in illud permittatur præsertim diebus religiosę recreationis, quibus ianua Monasterij ita clausa teneri debebit, vt extranei quicunque ab ingressu arceantur.

De vitanda familiaritate personarum secularium, & vt nostri secularibus negotijs se non immisceant. Caput XXXIII.

VErissimum est prouerbium, conuersatio laicorum corruptio Clericorum, ideo vt splẽdor

dor regularis diſciplinæ in noſtris ſemper fulgeat, præcipimus, illos à conuerſatione, & familiaritate perſonarum ſecularium abſtinere, exceptis probatis, & notiſsimis Dei ſeruis familiaribus noſtræ Congregationis.

A conuerſatione verò perſonarum ſecularium, quarum vita ſuſpecta eſſe poteſt, omnes abſtineant. Inuigilentque Patres Monaſteriorum, vt ſciant, an aliquis cum huiuſmodi collocutiones habeat, & regulari diſciplina ſtatim coercere ſtudeant, ab omni fœminarum, quantumcunque perfectæ, & ſpirituales videantur, familiaritate, & conſuetudine quilibet abſtineat, ad exemplum D. Patris Auguſtini, nam vt Baſilius rectiſsimè ait, Amor fœminarum quantumcuinque ſpiritualis ex diuturna familiaritate conuertitur in carnalem.

Nullus noſtrorum ſeù Canonicorum, ſeù etiam Conuerſorum ſecularibus negocijs, quæ nobis per Sacros Canones interdicuntur ſeſe immiſceat, nullus mercaturã, aut illicitam negociationẽ exerceat, neque medicinam, nullus venationibus incumbat; nullus bona ſecularium, aut etiam religioſorum alterius Ordinis proprio nomine, aut alterius præterquam nomine Monaſterij cõducat; nullus patrociniũ alicuius perſonæ ſecularis ſuſcipiat; neque illius procurator fiat. ſi perſonę ſeculares alicuius noſtrum auxilium, vel opem requirant ad pacem componẽdam, vel ad ſimilia pietatis, & charitatis officia præſtanda, id non ſine Prælati conſilio, & voluntate fiat. Nullus etiam Compater fiat, excepto cum Sa-

cramenta ministrabit. Omnes demùm meminerint sententiæ Apostoli dicentis; nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus. Qui eiusmodi negocijs nobis interdictis se implicauerint, pœnis in secunda parte statutis puniantur.

Qualiter extra Claustra Canonici statim reuersuri incedere debeant. Caput XXXIV.

CAnonici nostri domo egredientes illud semper ante oculos mentis habere debebunt, quod in nostra Regula dicitur, in incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Ex Monasterio egressuri, primò Superiorem adibunt, causam exeundi aperient, & licentiam expectabunt; & cum quibus Pater iusserit, ibunt: Nullus sine Patris licentia, nec sine socio è Monasterio exeat; neque postquam egressus fuerit, à socio sese disiungat, sub pœna habendi claustrum per tres menses, & etiam carceris ad Superioris arbitrium, cui pęnæ subiaceat Ianitor, qui scienter alicui sine licentia exeundi facultatem fecerit. Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus; qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit diligenter perquirat.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 19. 20 21.

Prælati non sint faciles in permittendo, suos subditos exire à Monasterijs; neque frequenter licen-

tias concedant, præsertim Clericis, quibus licentia exeundi non nisi ex vrgenti necessitate concedenda erit, & præsertim diebus festiuis, & temporibus, quibus publici concursus, & spectacula fieri solent, quibus spectaculis subditos interesse nullo modo permittent.

Nullum etiam Canonicum, aut Conuersum, vbi erunt Monasteria nostri Ordinis extra Claustra pernoctare permittent, sub quouis prætextu. Pernoctantes extra Claustra pro prima vice faciant disciplinam publicè in Refectorio, & habeant Claustrum per mensem, quòd si secundò, & tertiò id fecerint, pœna eis duplicetur, & triplicetur. In Diuersorijs, & Cauponis nullus nostrum comedat, vel bibat, vbi erunt Monasteria nostri Ordinis. Et licèt apud parentes, & personas religiosas, ac seruos Dei comedere non prohibeamur; id tamen absque Patris licentia non fiat, & sine socio proprij Ordinis.

Nullus absque decenti habitu, neque sine cappa nigra, & longa vsque ad talos, & decenter aptata è Monasterio egrediatur, sicut supra dictum est in Capitulo de habitu Canonicorum; neque comedijs hastiludijs, & alijs similibus intersit, siuè in plateis, siuè alibi, quibus interesse per Sacros Canones prohibemur. Contrafacientes ieiunent ter in pane; & aqua. C. clerici 2 de vita, & hon. Clericorum.

In incessu grauitas, & religiosa modestia seruetur, cum autem in Monasterium quisque reuertetur, Superiorem adibit, benedictionem ab eo accepturus, curabitque semper tàm citò domum reuer-

ti, vt cum cæteris valeat ad communem refectionem conuenire.

Qualiter incedere debeant Canonici cum longiùs proficiſcuntur. Caput XXXV.

CVm noſtros longiùs proficiſci contigerit, licentiam à Superioribus in literis patentibus accipere debebunt, quas literas, vt primùm ad aliquod Monaſterium peruenerint, Prælato, aut Vicario exhibebunt: aliòquin carceribus ſtatim deputentur, & ibi per mensẽ detenti, ad proprios deinde Prælatos remittãtur; præter quod poterunt iuxta Decretũ Conc. Tri. ab rdiOnarijs locorũ incarcerari. Prælati hanc Conſtitutionem cõtra vagantes ſine literis patentibus Superiorum non exequentes ſuſpendantur à regimine per tres menſes.

Seſſ. 25. de regul. c. 4.

Licentias eundi extra Diœceſim ſolus Abbas Generalis, & Viſitatores tempore viſitationum concedere poſsint; Sed nec etiam intra Diœceſim Prælati ſuos ſubditos per Villas, aut Ciuitates, aut oppida apud parentes, ſiuè domeſticos diù morari permittant. Nullus etiam abſque licentia Illuſtriſsimi Protectoris, aut Abbatis Generalis, aut Viſitatoris Prouinciæ, pro cauſa tamen communi totius Prouincię dumtaxat, Romam adire præſumat, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ per biennium.

Dec. clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 22.

Cum quis peruenerit ad aliquem locum, vbi ſit Monaſterium noſtræ Congregationis, ſtatim illud adibit;

adibit,& loci Prælato, seù Vicario sese præsentabit. In alienis verò Monasterijs, per quæ nostros trãsire continget, vltra duos, vel tres dies ad summum nõ morentur. Si propter aliqua negocia Monasteriorum tractanda, quemquam in alieno Monasterio, diutiùs commorari oportuerit, Patres Monasteriorum,ex quibus talis mittetur, alteri Monasterio,in quo morabitur,expensas alimentorum soluat.

Nullus prætextu cuiuscũque causæ agitãdæ maneat extra Monasteria in locis, in quibus monasteria nostri Ordinis reperientur. Cum in itinere ad Diuersoria ire, & ibi comedere, vel etiam dormire oportuerit, id fiat cum omni modestia,& si possibile fuerit, nostri separati ab alijs hospitibus, præsertim secularibus,dormiant. Ineatur ratio,qua sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis,degentes extra Conuentus Claustra ad ea, quamprimum reuocentur, nec de cętero nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint. Dec.Clem. PP. VIII. de Refor. Reg.32.

Circa habitum itinerantium seruentur ea, quæ superiùs in Cap. De Habitu dicta sunt. Quæ verò seruari debeant, cum quis de loco ad locum transmittetur, ibidem permansurus in tertia parte, in proprio Capite, dicenda erunt.

De Hoſpitibus recipiendis.
Caput XXXVI.

QVia iuxta Apoſtoli ſententiam Clericos præſertim regulares hoſpitales eſſe oportet, hoſpites, qui ad loca noſtræ Congregationis diuertent, benignè, & humaniter à Patribus excipiantur, & iuxta perſonarum conditiones, & locorum poſsibilitatem honorificè tractentur, ſiuè ſint noſtri, ſiuè alterius Ordinis, ſiuè etiam perſonæ ſeculares: dummodo non ſint Apoſtatæ, aut fugitiui, aut taliter criminoſi, vt illorum receptio ſit nobis per Sacros Canones interdicta.

Sint in quolibet Monaſterio hoſpitia decenter præparata quemadmodum Religioſos decet. Cura etiam excipiẽdorum hoſpitum vni, vel pluribus Canonicis à Patre committatur iuxta numerum hoſpitum, & eorum conditionem. Hi tales ſint, qui non ſolùm valeant cum charitate, & ſolicitudine hoſpitia præparare, menſas & lectulos conueniẽter ſternere, & ipſis hoſpitibus iuxta Patris voluntatem in omnibus miniſtrare; ſed etiam morum grauitate, & modeſtia ſermonis aduenientes ædificare.

Cum hoſpes ex noſtra Cõgregatione aduenerit, Ianitor cum campanula ſigno facto hoſpitalarium de illius aduentu admonebit, vt ad illum excipiendum oportunè valeat adeſſe; deinde ad Eccleſiam

ipſum

ipſum hoſpitem ducet, in qua poſt factam adorationem coram Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramẽto ad cellam Prælati, vel Vicarij benedictionem accepturus accedet, niſi fuerit Prælatus, aut Viſitator, & literas patentes ſuorum Superiorum quemadmodum dictum eſt in Capitulo præcedenti, illi exhibebit; demùm ad hoſpitium ducetur, & illi cum charitate, & hilaritate in omnibus ſedulò miniſtrabitur.

Si alterius Ordinis hoſpites, vel Clerici ſeculares, vel laici legitima cauſa poſcente ad domos noſtras diuerterint, benignè à ianitore excipiantur, & propè ianuam in loco collocutionum, aut alio viciniori ſiſtantur, donec Prælato id renũtietur, & ſciatur illius voluntas. Qui quidẽ Prælatus, an ſint Apoſtatæ, vel excommunicati, fugitiui, aut criminoſi, ſecretò, & prudenter inueſtigabit: & ſi annuat illos recipi, hoſpitalario cum ſolito ſigno campanulæ aduocato, ad Eccleſiam prius, deinde ad hoſpitia ducantur, interim vel ipſe Prælatus, vel Vicarius, vel aliquis de ſenioribus, prout illorum conditio requiret, benignè illis occurrat, illos comitetur, & cum humanitate, & religioſitate illis in omnibus curet miniſtrari. Præparetur illis in hoſpitio cibus, & lectulus; in commune verò Refectorium ad veſcendum nobiſcum nõ ducantur, niſi ſint religioſi, modeſti, & probati, aut laici bonæ famę, & domeſtici noſtræ Congregationis: nulluſq; cum illis comedat, ſine patris licentia: & ſi contingat, noſtros in hoſpitio cum illis de licentia Prælati comedere, ſal-

tèm in principio mensæ legatur aliquid de Diuina Scriptura, vel de alio libro, qui ad spiritualem ædificationem valeat conferre.

Illud summoperè in recipiendis hospitibus curandum erit, vt erga Christi pauperes, & peregrinos obsequium hospitalitatis præsertim exerceatur; quia in illis magis suscipitur, & honoratur Dominus noster Iesus Christus, qui de huiusmodi principaliter dicit, hospes fui, & collegistis me. Nullus, qui non sit de nostra Congregatione, aut illius Benefactor, aut notissimus seruus Dei, in nostris Monasterijs vltra duos, aut tres dies detineatur; neque sine consensu Capituli eiusdem Monasterij, nisi ob negocia, quæ vel publicum Congregationis, vel priuatum alicuius Monasterij cōmodum, vel interesse respiciant. Ad longum verò tempus nullus, qui non sit de gremio Congregationis sine licentia Abbatis Generalis in scriptis obtenta in nostris domibus teneatur cuiuscunque sit gradus, vel cōditionis etiam ob aliquam spem, vel mercedem: cum experimento compertum fuerit, Monasteria ex diutina habitatione personarum secularium etiam Ecclesiasticarum, multa grauissima damna spiritualia, & temporalia sustinere; Prælati, qui absque huiusmodi licentia quascunque personas de nostra Congregatione non existentes in Monasterijs, aut eorum domibus, exceptis solitis locari, vltra tres dies detinuerint, grauiter ad arbitrium Abbatis Generalis, puniantur. Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitionem munerum, & præscribens

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 34.

hospi-

hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Cóuentu inuiolabiliter obſeruetur.

De Eleemoſyna.Caput XXXVII.

CVm omnes Christifideles erga pauperes miſericordes eſſe oporteat, multò magis à Clericis in ſortem Domini adſcriptis id præſtari debet. Omnes igitur locorum patres in eleemoſynis Chriſti pauperibus diſtribuendis, quãtum poterunt liberales eſſe ſtudeant, illud pro certo habentes, eleemoſynam eſſe, qua peccata delentur, Dei miſericordia conciliatur, & aduerſa, quæ iuſtè pro peccatis noſtris patimur, à nobis auertuntur, pro qua non ſolùm in altera vita, ſed etiam in hoc ſeculo menſuram bonam, & confertam temporalium bonorum à Deo recipiemus.

In quibus Monaſterijs viget conſuetudo, vt ſtatutis diebus ſingulis pauperibus ad ianuam venientibus, certa portio panis, aut vini erogetur, ea inuiolabiliter à Patribus ſeruetur; nullus erga Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui in pauperibus ſuis mendicat, auarus, & crudelis eſſe velit. Qui ob auaritiam huiuſmodi laudabilem conſuetudinem ſeruare noluerint, tempore viſitationum acriter puniantur. Viſitatores ſpecialiter ſuper hoc inquirant, præſertim vbi ex ſpeciali obligatione Monaſteria ad hoc tenentur.

Ciborũ, & vini reliquiæ, quæ ſingulis diebus ſupererunt, malè perire non permittãtur, neque à fa-

mulis diripi, & ad personas, quæ verè Christi pauperes non sint, asportari; sed cum omni diligentia seruentur, & Ianitori tribuantur, qui eas pauperibus benignissimè dispenset. Benefactores autem nostræ Congregationis, si casu illos ad inopiam deuenire contigerit, meminerimus non solùm ex charitate, sed etiam ex debito iustitiæ ad vicem eis rependendam, nos obligari.

De ijs, qui insolitum austerioris vitæ genus eligere voluerint. Caput XXXVIII.

PRæter ea, quæ in Regula, & præsentibus Constitutionibus continentur, nullus absque licentia Superiorum audeat quoduis austerioris vitæ genus in se ipso experiri. Nullus sub specie maioris pœnitentiæ à consueto victu, & potu abstineat, nec extra cubile dormiat, nec aliquid insolitũ faciat, præter communem modum viuendi in nostra Congregatione consuetum; quod si fecerit non virtuti, sed superbiæ adscribatur, & digna correctione animaduertatur.

Nullus siuè subditus, siuè Prælatus, sed nec etiam Abbas Generalis aliquam singularitatem, vel nouitatem in victu, vestitu, & alijs moribus, præter modum viuendi in Congregatione consuetum audeat introducere, absque Capituli Generalis diffinitione certissima. Corporis etiã castigatio minimè sit immoderata, nec indiscreta in vigilijs, abstinentijs, &

alijs

alijs pœnitentijs, ac laboribus externis, quæ notabile nocumentum afferre, & maiora bona valeant impedire.

Si quis ex nostris desiderio arctioris vitæ aliã religionẽ ingredi postulauerit, probetur prius, quonam spiritu ducatur, an ex leuitate, vel diabolica fraude, & suggestione, an verò ex zelo melioris, & perfectioris vitæ. Et tunc demùm licentia illi concedatur, si tamen prius inuenerit benignos receptores, & si in ea Religione vigeat regularis obseruantia, ne tàm ipse, quàm receptores iuxta nostra priuilegia excommunicationem incurrant. Sixt. IV. ann. 1477.

De Capitulo culparum singula hebdomada congregando. Caput XXXIX.

VT ea, quæ in Regula, & Ordinis Constitutionibus præcipiuntur, inuiolabiliter seruentur, & si quid seruatum minus fuerit non negligenter prætereatur, sed emendandum, corrigendumque curetur, semel in hebdomada, nimirum die dominico, si commodè fieri possit, Generale Capitulum per Patrem Monasterij congregetur, cui omnes Canonici, & Conuersi professi, & etiam Nouitij non professi intersint, in quo Capitulo ad virtutem exercendam omnes subditi corã Prælato genuflexi de proprijs culpis quotidianis, & manifestis, humiliter sese accusabunt, incipiendo à Nouitijs non professis, deinde ad Conuersos pro-

fessos, Clericos, & tandem Sacerdotes procedendo:

Cum professi de suis culpis se accusaturi erunt, Nouitij non professi è Capitulo exibunt, quod etiã in Capitulis quotidianis seruandum erit, vt nunquã non professi professorum culpas audiant: postea verò signo facto in Capitulum etiam non professi reuocari poterunt. Nullus cum à Prælato corripietur, suos defectus audeat excusare: sed cum patientia, & humilitate ferat, cum verò emendationis, & profectus spiritualis desiderio, etiamsi pro defectu non culpabili reprehendatur. Nemo cùm à Prælato similiter arguitur siuè in Capitulo, siuè extra, audeat temerè illi respondere, & qui hoc fecerit, pro qualibet vice faciat disciplinam publicè in Refectorio, & grauiùs iuxta excessus qualitatem puniatur.

Omnium culpis auditis, & iniunctis vnicuique salutaribus pœnitentijs, prout ad spiritualem vniuscuiusque profectum magis expedire ipse Prælatus iudicauerit, omnes coram illo genuflexi faciant generalem confessionem, ac deinde facta per illum generali absolutione, iuxta morem Congregationis, cunctisque sedentibus, habeatur ab illo breuis sermo de regulari disciplina, de profectu spirituali, & perseuerantia in timore Domini. Fiat deinde singulorum officiorum distributio, prout supra dictũ fuit: Demùm status S.R.E. omnesque illius ordines, religiosorum cœtus, Principes Catholici, præsertim illi, in quorum ditionibus sunt nostri Ordinis Mo-

nasteria, deinde propinqui, & Benefactores nostræ Congregationis viui, ac defuncti, & quicunque spiritualia subsidia à nobis expectant, orationibus Fratrum, ab ipso Prælato plurimum commendentur.

De Admittendis ad habitum probationis. Caput XL.

QVemadmodum nemini, qui in nostra Cõgregatione verè, & ex corde Deo seruire velit, ingressus est præcludẽdus; ita nullus facilè admitti debet, sed vt Ioannes Apostolus monet, probandi erunt spiritus, an ex Deo sint. Qui ad habitum Clericorum admitti postulauerit, priùs per Patrem Monasterij, aut Vicarium, aut Magistrũ Nouitiorum, cum duobus, vel tribus Sacerdotibus senioribus, & prudentioribus diligenter interrogãdus erit, quonam spiritu ductus Religionem ingredi velit, & quanto tempore in proposito boni permanserit. Inquirendũ etiam erit de illius vita, & de moribus anteactis: nullus enim criminosus, aut alieno ære grauatus, aut reddendæ rationi alicuius administrationis obnoxius, vel qui pro alijs fideiusserit, vel qui matrimoniũ cõtraxerit, & consũmauerit, viuẽte vxore, nullus etiam, qui mala corporis valetudine ita laborare deprehensus fuerit, vt obseruãtias, & onera Congregationis ferre nõ valeat, nullus, qui mẽtis deliquio patiatur, vel aliquãdo passus fuerit (quia tales rarò, aut nunquã verè sanant) nullus, 1 Ioan. 4.

qui parentes ità pauperes, & egentes habeat, vt propter illius ingressum in religionem, ope, & auxilio valde destituti relinquantur; nullus etiam, qui alterius Religionis, aut Congregationis etiam Canonicorum Regularium habitum susceperit, siuè professus, siuè non professus, siuè spontè egressus, siuè dimissus, ad habitum Clericorum, aut etiam Conuersorum nostræ Congregationis vllo modo posit admitti; sed etiam admissus ante professionem statim ad seculum ablato habitu Religionis, dimittendus erit. Nullus Bigamus, aut alio quouis modo irregularis inter Clericos admittatur, nullus, qui non sit de legitimo matrimonio natus; cum iuxta antiquam Ordinis Constitutionem illegitimi ad habitum Clericorum nostræ Cógregationis recipi prohibeantur. Nullus etiam, qui non sit in Grammatica, & literis humanis ita instructus, vt rectè legere, & scribere, & linguam latinam rectè intelligere, & loqui nouerit, ad habitum Clericorum similiter admittatur; sed etiam admissi ante professionem ablato habitu probationis, ad seculum statim dimittantur.

Qui annum ætatis quadragesimum excesserint in nostram Congregationem nullo modo suscipiãtur sine expresso consensu totius Capituli Generalis. Pueri verò non ante quintumdecimum completum annum recipiãtur, ita vt expleto anno probationis iuxta Decretum Concilij Tridentini solemnem professionem emittere valeant.

sess. 25. de Regul. c. 15

Si quis cum supradictis requisitis, & cessantibus

simi-

similiter supradictis impedimentis, ad habitum nostræ Congregationis admitti postulauerit, antequã patribus diffinitoribus in Capitulo Generali, vel in Dietis acceptandus proponatur, prius Prælato monasterij suæ originariæ habitationis, vel nationis præsentari debebit, & ab illo cum duobus, vel tribus Canonicis eiusdem Monasterij diligenter examinatus, & idoneus repertus toti Capitulo eiusdem Monasterij proponi, à quo Capitulo si acceptatus fuerit, tunc Prælatus, & Capitulum literas testimoniales super sufficientia, & requisitis ipsius admittendi conficient, quas patribus visitatoribus tempore visitationum cum ipso admittendo præsentabũt, & sic præsentatus cum prædictis literis in Capitulo Generali, vel Dieta toti Diffinitorio proponendus erit; &, si Diffinitores illum acceptandum iudicauerint, tunc demum de licentia Abbatis Generalis, & de illius mandato ad habitum Religionis recipiatur. Si quis contra formam huius Constitutionis fuerit admissus ante professionem ad seculũ statim remittatur. Prælati, qui sine licentia patrum Diffinitorum aliquem ad habitum probationis admiserint, vel in literis testimonialibus falsitatẽ fecerint, vel ab alijs factam sciuerint, & nõ detexerint, Prælatura priuentur, & ad illam inhabiles existant.

Antequam aliquis in nostra Congregatione suscipiatur per Prælatum, vel Magistrum Nouitiorum, vel alios graues, & idoneos Sacerdotes diligenter instruendus erit, de Regula, & tribus votis, & alijs peculiaribus institutis, & obseruantijs no-

ſtræ Congregationis, proponenda erunt illi dura, & aſpera, per quæ itur ad Regnum Dei. Et tunc demùm recipi poterit, ſi ſpes ſit, illum in propoſito boni in ſancta Religione firmiter manſurum.

Et quamuis in ijs, qui ad habitum Conuerſorũ admitti poſtulabunt, non omnes ſupradictæ conditiones ſint requirendæ, nullus tamen ad habitum Conuerſorum admittatur, qui annum ætatis vigeſimum non expleuerit, & bona corporis habitudine aptus non ſit ad exercitia, & labores corporales, propter quos præſertim ipſi in noſtram Congregationem inducuntur. Probandus etiam erit an zelo perfectionis vitæ, & Deo liberiùs in Sancta Congregatione ſeruiendi, an potiùs leuitate, aut neceſſitate, aut alio fine inordinato ductus, poſtulet admitti, quod vt faciliùs valeat dignoſci, nullus ad habitũ probationis recipiatur, niſi priùs per annum alicui Monaſterio Congregationis cum habitu ſeculari ſeruierit, & niſi de Regulæ, votorum, & Conſtitutionum noſtri Ordinis ſubſtantia, & pondere ſufficienter pro eius capto fuerit inſtructus, & niſi omnia, & ſingula, quæ ſunt neceſſaria ad rectè ſeruiendum, & reſpondendum in Miſſa, & alia rudimenta Chriſtianæ Religionis optimè didicerit. Demùm nullus quantumuis idoneus ad habitum Clericorũ, aut Conuerſorum admitti poterit, neque profiteri, niſi in certis domibus probationis, iuxta Apoſtolica Decreta, ſpecialiter ad hæc deputatis, vel in poſterum deputandis, iuxta facultatem à Sede Apoſtolica nobis factam, de qua in actis Dietæ celebratæ

Dec. clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 33.

Romæ

Romæ anno 1610. ſub pœnis in dec. fel. record. Clementis PP. VIII. contentis contra recipientes, & receptos extra domos ſic deputatas. Pro locis verò & domibus probationis ea Monaſteria deputari debebunt, in quibus maior numerus familiæ teneri ſolet. Dec. Clem. PP. VIII. de Nouitijs.

Caueant autem omnes Patres, ne quid accipiant à volentibus ingredi Religionem pro ipſo ingreſſu vel vt ad profeſſionem admittantur, neque ab ipſiſmet in Nouitiatu conſtitutis, vel etiam ab eorum parentibus, excepto victu, & veſtitu eorundem Nouitiorum, ſub pœnis per Sacros Canones, & Concilium Tridentinum tranſgreſſoribus decretis. C. non ſatis de ſimonia. ſeſſ. 25. de Regul. c. 16

Regulæ inſtituendorum Nouitiorum. Caput XLI.

QVia non ſufficit circa admittendos diligentiam adhibere; ſed multò magis curandũ eſt, vt admiſſi optimè inſtituantur, ideò circa illorum inſtitutionem, hæc in primis obſeruanda monemus. Cum quis ad habitum probationis admittendus erit, in ingreſſu Religionis, vel ante habitum ſuſceptum, vel ſtatim poſt ſuſceptionem generalem confeſſionem omnium peccatorũ præmittere debebit, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, & ſic ſexto quoque menſe generaliter confiteri, ab vltima confeſſione ſemper inchoando. Cũ dabitur Nouitio habitus probationis fiat illi proteſtatio, quòd nunquam cenſebitur

professus etiam transacto anno probationis, nisi expressam professionem emiserit. Habitus Nouitiorum nondum professorum ab habitu Professorum, quoad Clericos, hoc signo distinguetur, quod non Professi rochettum sine manicis gerent; Professi verò cum manicis. Conuersorum autem habitus professionis erit hasta, seù patientia linea, quam non ferent Conuersi non professi.

Statim vt aliquis habitũ probationis sumpserit, ad locum Nouitiatus ducatur; qui locus ab ea parte Monasterij, in qua degẽt Professi, propria clausura separatus esse debebit; in quo sint tot numero cellæ distinctæ, quot numero Nouitij in eo teneri debebunt, ac etiam cella, & determinatus locus, pro Magistro Nouitiorum. In eodem loco Nouitiatus, præter alias communes commoditates, sit etiam locus aptus ad spirituales colloquutiones, nec non lectiones & instructiones audiendas, &, si fieri possit, cõmune Oratorium, hortus quoque, & camera, ad quam tempore hyemis Nouitij ad se calefaciẽdum communiter conueniant, sit is locus claue obseratus, quæ semper apud Magistrum Nouitiorum maneat. Ipsum locum Nouitiatus nullus ingrediatur excepto Prælato, & Magistro Nouitiorum, aut eiusdem Magistri socio. Si verò ex causa necessaria, & à Prælato, ac Magistro Nouitiorum probanda ingressus alicui permittatur, is non, nisi præsente Magistro, vel socio, Nouitios alloquatur, idque semper seruetur, cum Nouitios cũ aliquo loqui contigerit. Nullus verò excepto Prælato, & Magistro, ac eius

socio

ſocio cum Nouitijs loquatur, neque eis literas, aut aliquid aliud mittere audeat. Si ſecus fecerit, pro prima vice faciat diſciplinam publicè in Refectorio, pro ſecunda ſtet in clauſtro per menſem, pro tertia per tres menſes, &, ſi contumax adhuc fuerit, carceri per ſex menſes mancipetur.

Curabit diligenter Magiſter Nouitiorum, vt in Regula, & Ordinis Conſtitutionibus, & alijs omnibus, quæ ad regularem diſciplinam ſpectabunt, exactè inſtruantur, & exerceantur. Diſcant diuinæ vocationis præſtantiam, neceſſitatem obſeruationis ſolennium votorum, obedientiam, humilitatem, abſtinentiam, caſtigationem carnis, cuſtodiam ſenſuum. Exerceantur in oratione mentali, in examine, ac diſcuſſione propriæ conſcientiæ, cuius puritatem vt meliùs valeant cuſtodire, frequenter Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſcipere debebunt.

Quilibet Nouitius ſaltem ſemel ſingula hebdomada confiteatur, & Euchariſtiam ſumat. Sóli autem Magiſtro Nouitiorum confeſſiones audire permittatur; poterit tamen Prælatus, ſi ita viderit expedire, bis, aut ter in anno, alium præter Magiſtrũ ad illorum confeſſiones audiendas deputare. Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, bis quotidie mentali orationi vacent, nocturnis, & diurnis Officijs ſemper aſſiſtant. Non tamen durante anno probationis cum Profeſſis niſi in Choro, Eccleſia, communibus proceſſionibus, & communi Refectorio commorétur, neque illos domo egredientes comitentur.

Instruantur etiam accuratè in ceremonijs, & functionibus Ecclesiasticis ad formam Missalis, & cæremonialis Romani; Rubricas Breuiarij, & cantum Ecclesiasticum optimè doceantur; vt valeant Ecclesiæ iuxta Clericalia instituta, tùm in Choro diuina Officia decantando, tùm ad Altare ministrando rectè, & decenter seruire. Et licèt nullus ad habitum Clericorum, nisi sufficienter in Grammatica, & literis humanioribus instructus admitti debeat; tamen quia difficilè erit, omnes perfectè eruditos recipi, & pueri, nisi quotidiana exercitatione teneantur, quæ in seculo didicerunt, facilè obliuiscentur, curandum erit, vt etiam literis humanis per Magistrum Nouitiorum diligenter incumbāt. In corporalibus quoque exercitijs ad valetudinem seruandam ad Magistri arbitrium exerceantur, & honestæ, ac religiosæ recreationes certis diebus, semper tamen præsente Magistro illis concedantur.

Quamuis præcipua cura Magistri circa Clericos benè instituendos esse debeat, non tamen prætermittenda est Conuersorum religiosa institutio. Qui quidem annum probationis non, nisi in Nouitiatu sub disciplina Magistri transigere debebunt, & non solùm circa corporalia obsequia, exercendi, ac probandi erunt, sed etiam circa spiritualia, præsertim circa orationem mentalem, ac examen propriæ cōscientiæ pro illorum capacitate. Doceantur etiam modum rectè seruiēdi sacerdotibus in Missa, & qui ea, quæ ad rectè seruiendum, & respondendum in

Missa

Missa non didicerint, ad professionem nullo modo admittantur.

Indumenta Nouitiorum, quæ ex seculo detulerunt, & alia illorum bona, nullo pacto ante factam professionem distrahantur; sed in loco tuto seruentur, vsque ad emissam professionem, ijs exceptis, quę quis ante ingressum Religionis Monasterio, aut Congregationi donauerit per liberam donationem inter viuos, nō autem intuitu ingressus Religionis.

De solenni professione. Caput XLII.

TEmpore probationis expleto, qui religiosæ perfectionis capaces, & regularibus institutis apti reperti fuerint, si in ea sint ætate constituti, in qua professionē emittere possint quæ iuxta Concilium Tridentinū est post annum sextumdecimum expletum, & quoad Conuersos ex Decreto Clementis Octaui, post annum vigesimūprimum similiter expletum; hoc modo ad professionem admittendi erunt. Prælatus congregabit Capitulū Monasterij, cui omnes in sacris existentes interesse debebunt. Capitulo congregato exponet illi desiderium Nouitij, qui ad professionē admitti postulabit; & si ipsi Capitulo admittēdus videatur, fiat secretum scrutiniū iuxta formam tradendam in secunda parte in Capitulo de congregādo Capitulo Monasterij, & si plura vota sint collata pro parte affirmatiua, aut etiam si sint paria vota, admittatur,

quia

quia gratiæ ſunt ampliandæ, & iuxta auream D. Ioannis Chryſoſtomi ſententiam, magis in miſericordia abundare debemus, quàm in iuſtitia. Si autem plura vota ſint collata pro parte negatiua, ablato habitu probationis ad ſeculum dimittatur. Eum verò, qui fuerit ad ſeculum dimiſſus, aut etiam ſpontè egreſſus, nullus iterum recipiat ad habitum noſtræ Congregationis, ſine expreſſà licentia Capituli Generalis. Caueant tamen omnes ne aliquem Religioni idoneum, odio, vel malo zelo à Congregatione eijciant, alióquin ſciant, ſe pro eius anima, qui illorum cauſa ad ſeculum fuerit reuerſus, coram Deo ſtrictiſſimam rationem eſſe redituros. Ipſa profeſſio non in loco priuato, ſed publicè in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia fieri debebit coram Prælato, aut Vicario ex ſpeciali tamen commiſſione ipſius Prælati, & Canonicis Monaſterij, & publico Notario, vbi viget cõſuetudo, vt profeſſio fiat coram Notario. Si autem ob infirmitatem cum aliquo diſpenſabitur, vt extra Eccleſiam profiteatur: id tamen non aliter fiat, quàm præſente Prælato, vel Vicario, & Capitulo, & publico Notario rogato.

Profeſſiones Nouitiorum in libro particulari ſcribantur; & regiſtrentur, vel per manus profitentium, vel per manum Notarij, cum ſubſcriptione tamen eorumdem profitentium, & duorum teſtium, qui fuerint præſentes ipſi profeſſioni. Si verò Nouitij ſint Conuerſi, & ſcribere neſciant, teſtes ipſi ſubſcribant, & Nouitij loco ſubſcriptionis

coram

coram eiſdem teſtibus ſignum Crucis apponant. Huiuſmodi autem liber in Archiuo ſcripturarum Monaſterij perpetuò ſeruetur.

Poſt emiſſam profeſſionem nullus de Clerico fiat Conuerſus, vel de Conuerſo Clericus, ſed nec etiam intra annum probationis, vel in actu profeſſionis.

Vt Nouitij profeſſi in timore Domini,& Regulari diſciplina magis firmētur ſaltèm per duos annos integros poſt emiſſam profeſſionem ſub diſciplina Magiſtri Nouitiorum indiſpenſabiliter manebunt, ſiuè in eodem Monaſterio, ſiuè alibi à conuerſatione tùm perſonarum ſecularium, tùm etiam aliorum Profeſſorum ſeparati degent, & negotijs Monaſteriorum, & publicis, communibuſque tractatibus non intererunt. Poterunt tamen intra illud tempus ſtudijs literarum vacare.

Vt autem omnium Canonicorum, & Conuerſorum profeſſio reſpectiuè vniformiter fiat,ſequens modus,& forma profitendi ab omnibus ſeruari debebit. Qui profiteri voluerit,inter Miſſarum ſolennia genibus flexis ante Altare conſtitutus,dictis per Prælatum, vel Vicarium conſuetis orationibus, dicat alta, & intelligibili voce. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, & reſponſo per Chorum. Ex hoc nunc, & vſque in ſeculum, legat ſuam profeſſionem hoc pacto.

Anno Domini &c. Die &c. Menſis, &c. Ego Domnus N. in ſeculo vocatus N. Filius

N. de

N.de tali loco, vel Patria voueo, profiteor, & promitto Deo, Beatæ Mariæ Virgini, et Beato Augustino, et tibi Patri Domino N. de tali loco, Abbati, seu Priori, seu Vicario huius Monasterij Sancti N. Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Congregationis Saluatoris Lateranensis recipienti nomine, & vice Reuerendissimi Patris D. N. de tali loco, vel Patria eiusdem Congregationis Abbatis Generalis, ac successorum eius canonicè intrantium obedientiam, castitatem, & viuere in communi sine proprio, vsque ad mortem, secundùm Regulam Sancti Augustini. Et quod nunquam absque licentia Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intus, vel extra Ordinem nostrum, renunciando omnibus iuribus, priuilegijs, & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris. Ego Domnus N. suprascriptus manu propria scripsi, & ore proprio pronunciaui.

Conuersi, si scribere nesciant, dicant in fine [Ego Frater N. suprascriptus, manu aliena scripsi, & ore proprio pronunciaui] omittant etiam illa verba [& quod nunquam absque licentia Capituli Generalis &c.] cum sint laici, & beneficiorũ incapaces.

De

De Oblatis. Caput XLIII.

QVia ex antiqua Ordinis consuetudine præter Conuersos, nonnullas personas seculares ad corporalia obsequia, & seruitia Canonicis præstanda in nostris Monasterijs recipere solemus, sub nomine oblatorum, seu donatorũ, & commissorum, quæ personæ licèt solenniter nó profiteantur, castitatem tamen, & obedientiam, & communem vitam, quamdiu nobiscum in Monasterijs manserint, seruare debebunt, probamus, vt hæc consuetudo, quantum fieri poterit, vbique retineatur. Permittimusque vt huiusmodi oblati à Prælatis, cum consensu tamen suorum Capitulorum, in proprijs Monasterijs recipiantur, qui vt præmittitur obedientiam, castitatem, & vitam communem nobiscum seruent, vestiantque iuxta formam traditam in Capitulo de habitu Conuersorum, & Oblatorum. Nulla tamen mulier siuè nupta, siuè virgó, siuè vidua quantacunque sanctitate, aut nobilitate fulgeat, recipiatur pro Olata absque speciali licentia, & diffinitione Capituli Generalis.

Ipsi Oblati postquam per biennium in nostris Monasterijs steterint, si præmissa obseruauerint, & Prælato, & Capitulo Monasterij ità expedire videatur, in manibus Prælati obedientiam, castitatem, & cómunem vitam iterum promittant, absque tñ vlla solennitate, ne solennis professionis rationé in-

duere videatur; & tunc fiat illis ſcriptura receptionis ſub tali forma.

N. de tali loco, vel Patria Abbas, ſiuè Prior Monaſterij Sancti N. talis loci, tibi honeſto viro N. de tali parentela, et de tali loco ſalutem, & illam, quam mundus dare non poteſt, pacem.

Oblationi tuæ, qua te Omnipotenti Deo, et noſtræ Religioni in perpetuum obtuliſti, pietatis intuitu morem gerere volentes, tenore præſentiũ, auctoritate, qua fungimur, ac de conſenſu Capituli noſtri, te in hoc Monaſterio noſtro ad viuendum in communi ſpontè donatum, in numero donatorum noſtrorum vnanimiter acceptamus. Ita tamen, quòd iuxta formam Ordinationum noſtrarum obedientiam, caſtitatem, & vitam communem ſine proprio, quam promittis, vſque ad mortem fideliter ſerues. Quibus omnibus obſeruatis, vt nemo te de Monaſterio quouis pacto poſsit expellere, de Dei munere, & noſtri regiminis poteſtate libenter impartimur. In quorum fidem præſentes fieri, & noſtri Monaſterij ſigilli impreſsione muniri mandauimus. Datum in noſtro Monaſterio Sancti N. Die tali, Menſis, Anni, &c.

Ego Domnus N. ſcriba de mandato.

Eiuſ-

Eiuſmodi verò conceſſionis pagina illis facta à Monaſterio expelli non poſſint, niſi ſcandalum notorium, aut graue aliquod delictum admiſerint; idque ſine conſenſu expreſſo Abbatis Generalis, & Capituli proprij Monaſterij omnino fieri non poſſit.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM REGVLARIVM

ORDINIS SANCTI AVGVSTINI, Congregationis Saluatoris Lateranensis.

PARS SECVNDA.

De Abbate, siuè Rectore Generali. Caput I.

QVemadmodum omnes in Sancta Congregatione regulariter professi vnũ corpus sumus, ita omnes vnũ Caput agnoscere debemus, & vnum Abbatem Generalem, ac Rectorem totius Congregationis, cui per omnia secundùm Deum subijciamur, & ex corde humiliter obediamus.

Abbas Generalis in tota Congregatione tanquã Pater, & Caput ab omnibus suscipiendus, & venerandus erit, in omnibus locis nostræ Congregationis primum locum, & sedem super omnes de Congregatione existentes tenebit; & tanquam ordina-

rius Iudex in omnibus causis ciuilibus, & criminalibus in foro interiori, & exteriori potestatem habebit super omnes, & singulos de nostra Congregatione siuè subditos, siuè etiam Prælatos, & suam iurisdictionem, vel per se ipsum exercere, vel alijs delegare, prout illi videbitur expediens, liberè valebit; poterit etiam processus, contra delinquentes formare, reos conuenire, capi facere, incarcerari, constituere, ad quæstiones (si opus fuerit) ponere, suspendere ab officio, & regimine, excommunicare, de loco ad locum tranferre, & alia oportuna facere, iuxta moderationem tamen præsentium Constitutionum, & priuilegij Martini Papæ V. quo cauetur vt Rector Generalis, ac etiam Visitatores, seù Diffinitores per Capitulum deputati illam tantùm auctoritatem habeant, & potestatem super Canonicis, & subditis, & eorum Monasterijs, & locis, & super tota Congregatione in spiritualibus, & temporalibus, quam psum Capitulum saniùs, & vtiliùs pro communi omnium pace, & conseruatione regularis obseruantiæ, ac eorum humilitate seruanda, dignum fore censebit.

Abbas Generalis in tota Congregatione, & in singulis Monasterijs, & supra singulas personas in spiritualibus, ea possit auctoritate vti, ac si singuli Monasterij Prælatus esset. Circa regimen verò, & administrationem bonorum temporalium particularium Monasteriorum, in quolibet Monasterio, cui præsens erit, vocem in Capitulo habebit consul-

ſultiuam, & deliberatiuam. Poterit etiam, immo debebit de administratione temporalium bonorũ cuiuſque Monaſterij diligenter inquirere; Prælatos, & cæteros temporalium bonorum administratores ad reddendam rationem illorum administrationis compellere; libros computorum examinare, & ſi quos infideles, vel negligentes, vel imperitos, in notabile detrimentum alicuius Monaſterij inuenerit, ab officio, & regimine ſuſpendere, & alios idoneos, & Monaſterijs vtiles loco illorum ſubſtituere. Si etiam ex administratione bonorum temporalium in aliquo Monaſterio ſcandalum, vel ſpirituale detrimentum oriatur, cum conſilio Prælati, & loci Capitulo modum adhibebit, vel cum conſilio Patrum Viſitatorum, ſi Prælatus, & Capitulum prouiſioni per ipſum factæ nollent aſſentire.

Circa administrationem æris publici diligentiſſimè inuigilabit; & pro viribus efficiet, vt Congregatio non ſolùm ære alieno minimè grauetur, ſed multo magis ſi quod aderit ſubleuetur. Publicum æs in vſus priuatos cuiuſuis loci, aut perſonæ conuerti non permittet, aut etiam ſui ipſius, Viſitatorum vel aliorum Officialium ſub quouis prætextu, etiam in parua quantitate; licebit nihilominus ipſi Abbati Generali, ac Diffinitoribus cum participatione Illuſtriſſimi Cardinalis Protectoris, & dummodo nouum æs alienum non contrahatur, particularibus quibuſlibet Congregationis Monaſterijs legitima cauſa indigentibus, ex ærario publico ſub- Ex Conſt. Pauli V. edita anno 1608.
uenire,

uenire, iuxta formam breuis Sanctiſſimi D.N. Pauli Quinti ſuper hoc editi anno 1608. ad quod habeatur relatio.

Ciuiles etiam controuerſias, quæ nonnunquam inter Monaſterium, & Monaſterium, vel inter Monaſteria, & perſonas oriuntur, ad pacem, & iuſtitiã in Congregatione ſeruandam, iudicialiter cognoſcere, ac debito fine terminare valebit cum conſilio, & aſſenſu Patrum Viſitatorum. Poterit etiam Canonicos, & Conuerſos quoſcunque de loco ad locum transferre; Prædicatoribus in Capitulo Generali probatis, & electis licentiam prædicandi concedere, & Canonicis noſtris facultatem audiendi confeſſiones perſonarum ſecularium vtriuſque ſexus, & Clericis noſtræ Congregationis, vt ad ſacros Ordines promoueri poſſit ſimiliter facultatem tribuere, & alia omnia facere, quæ de iure, vel de conſuetudine illi conuenire dignoſcuntur.

Difficilia tamen, & grauia negocia cum conſilio, & aſſenſu Patrum Viſitatorum, qui ei tanquam ſocij à Capitulo Generali adiungentur, definire debebit; neque aliquid agere poterit ſupra id, quod à præfato Capitulo illi conceſſum fuerit; neque aliquid contrarium noſtris Conſtitutionibus factis, vel, quas inpoſterum fieri continget, attentare, neque nomine Congregationis ſupplicare pro impetrando aliquid in præiudicium Congregationis, vel contrarium noſtris Conſtitutionibus, & conſuetudinibus à quocunque Principe, ſiuè ſeculari, ſiuè Eccleſiaſtico. Cauebit etiam amore Dei, ne

aliorum Prælatorum auctoritatem, & iurisdictionem sibi vsurpet, vel eos ab officio, & regimine suspendat, aut incarcerari faciat, aut de loco ad locum transferat, nisi ob necessitatem ita vrgentem, vt nó possit alio modo remedium adhiberi; & tunc de consilio saltèm vnius, vel duorum Visitatorum id faciat, nisi periculum sit in mora: sed omnes Prælatos suis officijs liberè vti, & fungi permittet.

Ad officium Abbatis Generalis præcipuè spectabit Regulam, & Ordinis Constitutiones tùm in primis seruare; tùm vt ab alijs obseruentur diligentissimè curare. Et ideò non erit adstrictus in certo loco nostræ Congregationis residere; sed ibi morabitur, vbi suam præsentiam magis viderit esse necessariam. Ab omni etiam regimine cuiusuis particularis Monasterij, durantè triennio sui Generalatus absolutus manebit, quo liberiùs suum officiũ valeat exercere. Demùm socium ex nostris Canonicis, quem maluerit, poterit diligere, qui ei in officio Secretarij inseruiat, qui socius in Monasterio, cuius familiæ erit adscriptus, vocem actiuam, & passiuam habebit.

De quatuor socijs Abbatis Generalis Visitatoribus Congregationis. Caput II.

QVo faciliùs, & vtiliùs ipse Abbas Generalis proprij officij munus valeat exercere, ex Canonicis nostræ Congregationis proue-

ctioribus, ac dignioribus, rerumque vſu magis peritis, quatuor ſocij eidem Abbati Generali per Capitulum Generale adiungendi erunt, quorum conſilio, & adiutorio difficilia, & grauia negocia pro tempore occurrentia tractare, & definire debebit. Hi erunt etiam Viſitatores Generales totius Congregationis.

Eorum præcipuum officium erit, Abbati Generali in grauioribus negocijs Congregationis tractandis adiumento eſſe; quod vt faciliùs exequantur toto triennio illorum Viſitatoratus, ab omni regimine particularium Monaſteriorum liberi, & abſoluti erunt; & etiam ab officio prædicationis, nec poterunt ſeſe alicui perſonæ, Ciuitati, vel Vniuerſitati ita obligare, quin ſemper ad nutum Abbatis Generalis ipſi adeſſe, & ad quæuis loca Congregationis ſine vlla mora mitti poſsint, & proficiſci. Poterit tamen Abbas Generalis, ſi ipſe prædicare noluerit, vni ex Viſitatoribus tantùm licentiam concedere, vt prædicare poſsit.

Ad ipſos ſpectabit, omnia Monaſteria, & loca Congregationis viſitare. Dum autem Officium Viſitationis, actualiter exercebunt, in ſingulis Monaſterijs viſitationi illorum ſubiectis primum locum tenebunt; ſuper quoſcunque Prælatos etiam in proprijs Monaſterijs ipſorum Prælatorum. In omni Capitulo vocem habebunt, præterquam in electione ſocij Capitularis, in qua tãtum in Capitulo propriæ reſidentiæ vocem habere poterunt. Eandem quoque poteſtatem, & iuriſdictionem habebunt in

omnes

omnes de gremio nostræ Congregationis, siuè subditos, siuè Prælatos, quam habet Abbas Generalis. Quare dum actuales visitationes exercebunt, poterunt quoscunque delinquentium excessus corrigere, processus formare, delinquentes iudicialiter cõuenire, capi facere, & incarcerari, torturæ, si opus sit, exponere, Prælatos ab officio, & regimine suspẽdere, excommunicare, & processus confectos per sententiam diffinitiuam terminare, ijs exceptis, quæ non nisi per totum diffinitorium iudicialiter terminari possunt, sicut in priuilegio Pij Papæ Quarti nobis facto cauetur. In quibus tamen processus informatiuos conficere, & causarum merita ipsi diffinitorio terminanda, referre debebunt.

In literis directis Rectori Gen. Ann. 1561. die 28. Iunij.

Poterunt etiam actualem visitationem exercentes, Canonicos, & Conuersos de loco ad locum trãsferre, facultates audiendi confessiones suspendere, & Confessarios pro audiendis subditorum confessionibus deputare, vel si subditi maluerint, illorum etiam confessiones audire; non tamen illos compellere poterunt, vt si nolint, illis confiteantur, iuxta Decretum Clementis Papæ Octaui. Poterũt etiam, & debebunt diligenter inquirere, an bona temporalia Monasteriorum fideliter ab illorum administratoribus tractentur, sicut infra in Capitulo de visitationibus specialiter dicetur.

Grauiora tamen negocia, iuxta antiquas Ordinis Constitutiones sine Abbatis Generalis consilio, & auctoritate diffinire minimè debebunt. Si verò dum Abbas Generalis, & Visitatores inter se distan

tes erunt, graue aliquod negotium emergat, illud per literas, vel fidos nuncios ad inuicem significent, vt ad arbitrium Abbatis Generalis, vel omnes, vel saltèm propinquiores conueniant, vel aliter oportunè remedium adhibeant.

Extra actuales visitationes, in illis Monasterijs morabuntur, in quibus Abbas Generalis illorum præsentiam magis necessariam iudicabit. Ibi verò sicut Prælati forenses erũt: neque Prælato loci subijcientur, & poterunt quemcunque ex nostris Sacerdotibus in confessarium deligere, & aliorum siuè Canonicorum, siuè Conuersorum confessiones audire, si ipsi eis voluerint confiteri; & in suos socios ordinariam iurisdictionem, tanquam illorum Prælati exercebunt. Supra omnes Canonicos etiã Prælatos primum locum, & sedem tenebunt, excepto Prælato Monasterij, in quo erunt; culpas etiam omnium tàm publicè, quàm priuatè poterunt audire, & corrigere, non tamen Capitulum congregare: In quolibet Monasterio absente Prælato benedictionem in mensa faciẽt, & alia signa, quæ ad præeminentiam spectant, siuè in Refectorio, siuè in Ecclesia, siuè alibi.

Non poterunt tamen in messem alienam manũ mittendo, iurisdictionem Prælatorum, aut Vicariorum, absentibus Prælatis, exercere, nisi (quod absit) notabile scandalũ occurrat, aut aliquid, quod grâue detrimentum spirituale, vel temporale toti Congregationi, vel alicui particulari Monasterio, aut personæ possit afferre; nam in similibus casibus nõ

solùm

ſolum cum ſunt in actuali exercitio viſitationũ; ſed etiam extra illas, non ſolùm in locis ſubiectis illorũ viſitationi, ſed extra illa, in quibuſcunque locis, & perſonis de noſtra Cógregatione ſuam iuriſdictionem exercere valebunt, tanquam ſi eſſent in actuali exercitio viſitationum, quia in ſimilibus caſibus ſemper cenſentur eſſe in actuali viſitatione, admonito tamen ſtatim Abbate Generali, cuius conſiliũ in ſimilibus debebunt expectare.

De Procuratore Generali. Caput III.

OB graues cauſas in dies occurrentes, propter quas neceſsè habemus ad Sedem Apoſtolicã, & ad Romanã Curiam ſæpiùs accedere, eligatur per Capitulũ Generale iuxta antiquã Ordinis cóſuetudinẽ aliquis Canonicus noſtræ Cógregationis prudens, ſani conſilij, & rerum gerundarum vſu expertus, in Procuratorem Generalem totius Congregationis apud Romanam Curiam, cũ pleno mandato ad omnes cauſas ipſi Congregationi, vel particularibus locis, vel perſonis dictæ noſtræ Congregationis pro tempore occurrẽtes, & ad alia, quæ Capitulũ Generale illis ſpecialiter committet, in Romana Curia tractanda. Ipſe verò Procurator Generalis in Monaſterio noſtro Romano S. Mariæ de Pace, ſuam ordinariam reſidentiam habebit; & ſi Congregationi videbitur, eiuſdem Monaſterij Abbas eſſe poterit. Sed & ſi non fuerit Præ'atus, nihilominus

lominus in omnibus locis noſtræ Congregationis ſupra locorum Vicarios ſedebit, neque aliter quàm Prælati, erit alicui ſubiectus. Ad Generale Capitulum ſemper accedere debebit, officio ſuo renunciaturus,& etiam ad dietas, & in eodem Capitulo Generali ſicut cæteri Prælati vocem habebit; poterit etiam cui voluerit ex noſtris Canonicis confiteri. Ad illius officium ſpectabit, Congregationis, & ſingulorum eius locorum, & perſonarum iura, & priuilegia in Romana Curia pro viribus tueri; & eiuſdem Congregationis, ac particularium locorũ, & perſonarum cauſas diligenter, & fideliter tractare, coram quibuſcunque Iudicibus, & Tribunalibus; Quæcunque edicta Congregationem noſtrã, vel particularium eius loca, & perſonas quomodolibet tangentia in Romana Curia promulgabũtur, ad ſingula loca,& perſonas ſtatim tranſmittere; & ijs, qui falſis narrationibus etiam nomine Congregationis aliquid contra illius immunitatem, libertatem,priuilegia, ſtatuta, & laudabiles conſuetudines impetrare procurauerint, viriliter ſecundùm Deum ſeſe pro Congregatione opponere;& ſi quid tale impetrauerint, cum primùm poterit, Sanctiſſimum D.noſtrum de ſubreptione, & falſitate narratorum certiorem facere,& vt malè impetrata per eundem Sãctiſsimum D.noſtrum abrogentur, impensè procurare. Quare ipſe in primis cauere debebit, ne prætextu Generalis mandati ſibi facti aliquid contra Congregationis priuilegia,ſtatuta,immunitates, laudabileſque conſuetudines etiam nomine

mine Congregationis audeat procurare.

Breuium quoque Apostolicorum, Literarum, vel Edictorum, quæ à Sancta Sede Apostolica ad Capitulum Generale, vel ad totam Congregationem transmittentur, vel nomine Congregationis impetrari contigerit, & similiter aliorum Decretorum, quæ à Sacris Congregationibus Illustrißimorum DD. Cardinalium fient, publicum Congregationis interesse tangentium, ipse Procurator Generalis, & Abbas Generalis, vel Scriba totius Capituli Generalis teneantur in primo quoque Generali Capitulo, vel dieta, postquam eiusmodi emanauerint, integrasq́, & veras copias ad valuas diffinitorij affigere, easque ibi relinquere, ita vt ab omnibus in dieta, vel in Capitulo Generali existentibus legi, considerari, & transcribi posint. Spectabit etiam ad officium Procuratoris Generalis, fugitiuos, & apostatas, præsertim Romæ degentes, ad Congregationem reuocare, cum pleno mandato, & potestate eos capi faciendi, incarcerandi, & puniendi iuxta Canonicas sanctiones, ne huc, & illuc cum nostræ Congregationis dedecore, & populorum scandalo vagentur.

De Prælatis locorum. Caput IV.

QVemadmodum tota Congregatio vnum Caput habet; ita quodlibet Monasterium suum peculiarem Prælatum habere debet, quem omnes, & singuli de familia Monasterij

exi-

existentes , tanquam patrem suscipere, venerari,& illi per omnia secundùm Deum debent obedire,siuè ille Abbas sit, siuè Prior , siuè Præpositus , siuè Archipresbyter:nam quocunque titulo nuncupentur, quo ad prærogatiuas, & præeminentias , intra Cógregationem pares erunt, & quique in suis Monasterijs parem auctoritatem habebunt . Prælati omni studio nitantur tales suis familijs se ipsos exhibere , quales Apostolus requirit , irreprehensibiles, sobrios, prudentes, moribus ornatos , pudicos , hospitales ; qui potentes sint subditos exhortari in patientia,& doctrina, non dominantes in Cleris,& vt in Regula scriptum est , qui magis amari appetant , quàm timeri , & non se existiment potestate dominante, sed charitate seruientes felices . Conditiones verò eligendorum ad Prælaturas in tertia parte in Cap.De electione Prælatorum dicentur .

Quilibet Prælatus suorum subditorum culpas , & defectus corrigere poterit , & debebit , iuxta Regulam charitatis, sacrorum Canonum,& præsentiú Constitutionum,cum sit ordinarius illorum Iudex, in vtroque foro, habens facultatem ligandi , & soluendi,casus reseruandi, censuras infligendi , delinquentes corrigendi, processus formandi, reos iudicialiter conueniendi , constituendi , carceribus deputandi,& iudicialiter condemnandi,exceptis grauioribus causis , in quibus sententia diffinitiua , à Reuerendissimo Abbate Generali , vel à Patribus Visitatoribus, siuè à toto diffinitorio erit expectanda , & alia omnia faciendi , quæ ad regularis disciplinæ

plinæ obſeruationem, & regimen propriæ familiæ neceſſaria videbuntur, iuxta modum per Sacros Canones, & Ordinis Priuilegia, & ſtatuta illi præſcriptum. Quare in primis curabit quilibet Prælatus Regulam, & Ordinis Conſtitutiones exactè ſeruare, & vt à ſibi ſubditis ſeruentur pro poſſe efficere, ſubditorum defectus per ſe ipſum corrigere, nec Abbati Generali, aut Patribus Viſitatoribus, & Diffinitoribus corrigendos differre. Qui in erroribus ſubditorum corrigendis negligentes erunt, corrigantur ipſi à maioribus, & ſi opus ſit, iuxta antiquas Ordinis Cõſtitutiones à regimine amoueãtur.

Et ſi verò Prælati in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, & excommunicationis iubere poſſint, non tamen niſi rariſſimè, & ex grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa id facere debebunt.

Illud porrò Superiores omnes in Dño admonemus, vt memores ſint rationis, quã in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi cõmiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in Regula, & conſtit. noſtris de oratione mentali, ſilẽtio, ieiunijs, capitulo culparũ, alijſq; ſpiritualibus exercitijs prudẽter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruẽtur, intelligantq; ſuper his veluti fundamentis Religionis ædificanda, conſtruenda, & amplianda eſſe, quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè oportunum erit, ſi in quolibet Conuentu ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſeruantia.

O De

De Prælatorum facultate circa administrationem bonorum mobilium. Cap. V.

PRælati administrationem bonorum mobiliū suorum Monasteriorum, ita illis concessam esse intelligant, vt nullus ad ministrationem talium bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditūum sui Conuentus per se ipsum habere, siuè exercere possit; sed vniuersum id onus œconomo, vel Procuratori, vel Depositario committere, & demandare debebit. Nullus Prælatus, aut alius quiuis administrator præter ordinarios, & necessarios sumptus pro victu, & vestitu familiæ, & alias ordinarias expensas in Sacristia, Dormitorio, & alijs officinis, quotidie fieri solitas, aliquos extraordinarius sumptus faciat; sed quidquid ex redditibus Monasterij vltra prædictos sumptus supererit, fideliter seruet, in extinctionem debitorum Monasterij, si quæ aderunt, statim conuertendum, & implicandum, sub pœna suspensionis à Prælatura ipsi Prælato, & carceris alijs ministris contrafacientibus, ad arbitrium Abbatis Generalis.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 12.

Quod si casus contingat, quo necessè sit, præter ordinarios sumptus aliquam expensam facere, ea nō fiat sine expressa licentia Abbatis Generalis in scriptis obtenta, & expresso consensu Capituli proprij

Monasterij per vota secreta præstando. Si etiam casus grandinis, pruinæ, incendij, vel eruptionis fluminum contingant, Prælatus Visitatori Prouinciæ id statim denunciabit, qui Visitator ad damnum inspiciendum illico sese transferre debebit; eòque inspecto, & adnotato, de huiusmodi Abbatem Generalem admonere, vt remedium oportunum valeat adhiberi.

Nullus Prælatus equos, aut famulos seculares in suo Monasterio teneat præter eos, qui erunt cuilibet Monasterio necessarij. Sumptus etiam, qui in nonnullis diebus festiuis locorum, vel in musicis, vel in Monasteriorum domesticis conuitãdis fieri solent, sint moderati; & musici ex locis extra Diœcesim existentibus non aduocentur. Nullus Prælatus supellectilem domus, vel Ecclesiæ magni valoris ven dere possit, aut aliquo modo alienare sine licentia Abbatis Generalis, vel Visitatoris Prouinciæ, & expresso consensu proprij Capituli. Minima tamen, & parui momenti ex causa rationabili vẽdere possit, & in meliora permutare. Nullus quoque siluas, seù nemora incidi faciat, exceptis consuetis incisionibus, quæ statutis annis fieri consueuerunt, quæ omninò anticipari non possint: qui absque licentia Abbatis Generalis, aut Visitatorum Prouinciæ, & expresso consensu proprij Capituli huiusmodi vetitas incisiones fieri fecerit, sit suspensus à Prælatura per duos menses, & iuxta excessus qualitatem grauiùs vsque ad depositionem, puniri debebit. Nullus etiam subsidiarias pecunias, quæ vulgò scortæ Mo-

nasteriorum appellantur, à suis Prædecessoribus sibi relictas minuere possit, quin expleto proprio regimine illas in eadem qualitate, & quantitate in pecunia numerata, in manu Depositarij actualiter resignet, sub pęna priuationis officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad gradus, officia, & dignitates, prout dicetur in Capitulo de Depositario.

Spolia Defunctorum nullus Prælatus, vel administrator, aut quisuis alius sibi audeat appropriare, sed illa omnia inter redditus, & prouentus Monasterij, de cuius familia defunctus extiterat, integrè, fideliter, & veraciter incorporentur, & in libris cõputorum Monasterij inter illius redditus scribãtur, sub pœnis impositis administratoribus bonorum temporalium fideliter non scribentibus in libris Monasteriorum omnes illorum redditus, & prouẽtus, de quibus infra dicetur.

Si quis missus de Monasterio ad Monasterium in itinere ex hac vita decesserit, illius spolia sint Monasterij, ex quo discesserat: quia illud Monasterium onus expensarum, quas circa ipsum defunctum, fieri continget, siuè in ægritudine, siuè etiam in funeralibus sustinere debebit.

Si quis Prælatus in administratione bonorum temporalium Monasterij infideliter egisse, aut de eius bonis sibi aliquid occultè, & fraudulenter vsurpasse conuictus fuerit (præter alias pœnas contentas in literis fel. rec. Pauli PP. III. quæ incipiunt. (Graue gerimus) & in fine huius libri sunt appositæ ab Abbate Generali cum consilio duorum Visita-

torum

torum statim à regimine deponatur, & grauius etiã iuxta qualitatem, & quantitatem delicti puniatur.

Quolibet anno saltèm bis omnia bona mobilia Monasteriorum per Prælatos, vnà cum ratiocinatoribus, & inuentarijs visitentur, & cum ipsis inuẽtariis cõferantur, & illorum status, cum visitabuntur, in inuentarijs notetur.

De Prælatorum facultate circa administrationem bonorum immobilium. Caput VI.

NVllus Prælatus bona aliqua Monasterij immobilia, vel iura, vel census perpetuos, & similia vendere, permutare, aut alio modo, seù titulo, alienare, vel hypothecare, vel Monasterium, aut aliquod eius membrum, aut partem cuiuis personæ Collegio, vel Vniuersitati valeat obligare, sine expressa licentia Abbatis, vel Capituli Generalis, & etiã Capituli sui Monasterij, sub pœna priuationis omnium dignitatum, & omnium officiorum, quæ obtinebit ipso facto incurrendi, & perpetuæ inhabilitatis ad hæc inposterum obtinenda, præter alias pœnas per sacros Canones contra alienatores bonorum Ecclesiasticorum promulgatas.

Nullus Prælatus absque licentia Sedis Apostolicæ, & Abbatis Generalis, aliquam partem bonorũ immobilium, etiam minimam, alicui personę, Collegio, vel Vniuersitati in emphyteusim, siuè ad

tes erunt, graue aliquod negotium emergat, illud per literas, vel fidos nuncios ad inuicem ſignificent, vt ad arbitrium Abbatis Generalis, vel omnes, vel ſaltèm propinquiores conueniant, vel aliter oportunè remedium adhibeant.

Extra actuales viſitationes, in illis Monaſterijs morabuntur, in quibus Abbas Generalis illorum præſentiam magis neceſſariam iudicabit. Ibi verò ſicut Prælati forenſes erũt: neque Prælato loci ſubijcientur, & poterunt quemcunque ex noſtris Sacerdotibus in confeſſarium deligere, & aliorum ſiuè Canonicorum, ſiuè Conuerſorum confeſsiones audire, ſi ipſi eis voluerint confiteri; & in ſuos ſocios ordinariam iuriſdictionem, tanquam illorum Prælati exercebunt. Supra omnes Canonicos etiã Prælatos primum locum, & ſedem tenebunt, excepto Prælato Monaſterij, in quo erunt; culpas etiam omnium tàm publicè, quàm priuatè poterunt audire, & corrigere, non tamen Capitulum congregare: In quolibet Monaſterio abſente Prælato benedictionem in menſa faciẽt, & alia ſigna, quæ ad præeminentiam ſpectant, ſiuè in Refectorio, ſiuè in Eccleſia, ſiuè alibi.

Non poterunt tamen in meſſem alienam manũ mittendo, iuriſdictionem Prælatorum, aut Vicariorum, abſentibus Prælatis, exercere, niſi (quod abſit) notabile ſcandalũ occurrat, aut aliquid, quod grãue detrimentum ſpirituale, vel temporale toti Congregationi, vel alicui particulari Monaſterio, aut perſonæ poſſit afferre; nam in ſimilibus caſibus nõ

ſolùm

ſolum cum ſunt in actuali exercitio viſitationũ; ſed etiam extra illas, non ſolùm in locis ſubiectis illorũ viſitationi, ſed extra illa, in quibuſcunque locis, & perſonis de noſtra Cógregatione ſuam iuriſdictionem exercere valebunt, tanquam ſi eſſent in actuali exercitio viſitationum, quia in ſimilibus caſibus ſemper cenſentur eſſe in actuali viſitatione, admonito tamen ſtatim Abbate Generali, cuius conſiliũ in ſimilibus debebunt expectare.

De Procuratore Generali. Caput III.

OB graues cauſas in dies occurrentes, propter quas neceſsè habemus ad Sedem Apoſtolicã, & ad Romanã Curiam ſæpiùs accedere, eligatur per Capitulũ Generale iuxta antiquã Ordinis cõſuetudinẽ aliquis Canonicus noſtræ Cõgregationis prudens, ſani conſilij, & rerum gerundarum vſu expertus, in Procuratorem Generalem totius Congregationis apud Romanam Curiam, cũ pleno mandato ad omnes cauſas ipſi Congregationi, vel particularibus locis, vel perſonis dictæ noſtræ Congregationis pro tempore occurrẽtes, & ad alia, quæ Capitulũ Generale illis ſpecialiter committet, in Romana Curia tractanda. Ipſe verò Procurator Generalis in Monaſterio noſtro Romano S. Mariæ de Pace, ſuam ordinariam reſidentiam habebit; & ſi Congregationi videbitur, eiuſdem Monaſterij Abbas eſſe poterit. Sed & ſi non fuerit Prælatus, nihi-

lominus

mine Congregationis audeat procurare.

Breuium quoque Apostolicorum, Literarum, vel Edictorum, quæ à Sancta Sede Apostolica ad Capitulum Generale, vel ad totam Congregationem transmittentur, vel nomine Congregationis impetrari contigerit, & similiter aliorum Decretorum, quæ à Sacris Congregationibus Illustrissimorum DD. Cardinalium fient, publicum Congregationis interesse tangentium, ipse Procurator Generalis, & Abbas Generalis, vel Scriba totius Capituli Generalis teneantur in primo quoque Generali Capitulo, vel dieta, postquam eiusmodi emanauerint, integras, & veras copias ad valuas diffinitorij affigere, easque ibi relinquere, ita vt ab omnibus in dieta, vel in Capitulo Generali existentibus legi, considerari, & transcribi possint. Spectabit etiam ad officium Procuratoris Generalis, fugitiuos, & apostatas, præsertim Romæ degentes, ad Congregationem reuocare, cum pleno mandato, & potestate eos capi faciendi, incarcerandi, & puniendi iuxta Canonicas sanctiones, ne huc, & illuc cum nostræ Congregationis dedecore, & populorum scandalo vagentur.

De Prælatis locorum. Caput IV.

QVemadmodum tota Congregatio vnum Caput habet; ita quodlibet Monasterium suum peculiarem Prælatum habere debet, quem omnes, & singuli de familia Monasterij exi-

existentes, tanquam patrem suscipere, venerari, & illi per omnia secundùm Deum debent obedire, siuè ille Abbas sit, siuè Prior, siuè Præpositus, siuè Archipresbyter: nam quocunque titulo nuncupentur, quo ad prærogatiuas, & præeminentias, intra Cógregationem pares erunt, & quique in suis Monasterijs parem auctoritatem habebunt. Prælati omni studio nitantur tales suis familijs se ipsos exhibere, quales Apostolus requirit, irreprehensibiles, sobrios, prudentes, moribus ornatos, pudicos, hospitales; qui potentes sint subditos exhortari in patientia, & doctrina, non dominantes in Cleris, & vt in Regula scriptum est, qui magis amari appetant, quàm timeri, & non se existiment potestate dominante, sed charitate seruientes felices. Conditiones verò eligendorum ad Prælaturas in tertia parte in Cap. De electione Prælatorum dicentur.

Quilibet Prælatus suorum subditorum culpas, & defectus corrigere poterit, & debebit, iuxta Regulam charitatis, sacrorum Canonum, & præsentiũ Constitutionum, cum sit ordinarius illorum Iudex, in vtroque foro, habens facultatem ligandi, & soluendi, casus reseruandi, censuras infligendi, delinquentes corrigendi, processus formandi, reos iudicialiter conueniendi, constituendi, carceribus deputandi, & iudicialiter condemnandi, exceptis grauioribus causis, in quibus sententia diffinitiua, à Reuerendissimo Abbate Generali, vel à Patribus Visitatoribus, siuè à toto diffinitorio erit expectanda, & alia omnia faciendi, quæ ad regularis disci-

plinæ

plinæ obſeruationem, & regimen propriæ familiæ neceſſaria videbuntur, iuxta modum per Sacros Canones, & Ordinis Priuilegia, & ſtatuta illi præſcriptum. Quare in primis curabit quilibet Prælatus Regulam, & Ordinis Conſtitutiones exactè ſeruare, & vt à ſibi ſubditis ſeruentur pro poſſe efficere, ſubditorum defectus per ſe ipſum corrigere, nec Abbati Generali, aut Patribus Viſitatoribus, & Diffinitoribus corrigendos differre. Qui in erroribus ſubditorum corrigendis negligentes erunt, corrigantur ipſi à maioribus, & ſi opus ſit, iuxta antiquas Ordinis Cõſtitutiones à regimine amoueãtur.

Et ſi verò Prælati in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, & excommunicationis iubere poſſint, non tamen niſi rariſſimè, & ex grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa id facere debebunt.

Illud porrò Superiores omnes in Dño admonemus, vt memores ſint rationis, quã in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi cõmiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in Regula, & conſtit. noſtris de oratione mentali, ſilẽtio, ieiunijs, capitulo culparũ, alijſq; ſpiritualibus exercitijs prudẽter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruẽtur, intelligantq; ſuper his veluti fundamentis Religionis ædificanda, conſtruenda, & amplianda eſſe, quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè oportunum erit, ſi in quolibet Conuentu ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſeruantia.

De Prælatorum facultate circa administrationem bonorum mobilium. Cap. V.

PRælati administrationem bonorum mobiliũ suorum Monasteriorum, ita illis concessam esse intelligant, vt nullus ad ministrationem talium bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus per se ipsum habere, siuè exercere possit; sed vniuersum id onus œconomo, vel Procuratori, vel Depositario committere, & demandare debebit. Nullus Prælatus, aut alius quiuis administrator præter ordinarios, & necessarios sumptus pro victu, & vestitu familiæ, & alias ordinarias expensas in Sacristia, Dormitorio, & alijs officinis, quotidie fieri solitas, aliquos extraordinarius sumptus faciat; sed quidquid ex redditibus Monasterij vltra prædictos sumptus superererit, fideliter seruet, in extinctionem debitorum Monasterij, si quæ aderunt, statim conuertendum, & implicandum, sub pœna suspensionis à Prælatura ipsi Prælato, & carceris alijs ministris contrafacientibus, ad arbitrium Abbatis Generalis.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 12.

Quod si casus contingat, quo necesse sit, præter ordinarios sumptus aliquam expensam facere, ea nõ fiat sine expressa licentia Abbatis Generalis in scriptis obtenta, & expresso consensu Capituli proprij

Mona-

Monasterij per vota secreta præstando. Si etiam casus grandinis, pruinæ, incendij, vel eruptionis fluminum contingant, Prælatus Visitatori Prouinciæ id statim denunciabit, qui Visitator ad damnum inspiciendum illico sese transferre debebit; eoque inspecto, & adnotato, de huiusmodi Abbatem Generalem admonere, vt remedium oportunum valeat adhiberi.

Nullus Prælatus equos, aut famulos seculares in suo Monasterio teneat præter eos, qui erunt cuilibet Monasterio necessarij. Sumptus etiam, qui in nonnullis diebus festiuis locorum, vel in musicis, vel in Monasteriorum domesticis conuitãdis fieri solent, sint moderati; & musici ex locis extra Diœcesim existentibus non aduocentur. Nullus Prælatus supellectilem domus, vel Ecclesiæ magni valoris vendere possit, aut aliquo modo alienare sine licentia Abbatis Generalis, vel Visitatoris Prouinciæ, & expresso consensu proprij Capituli. Minima tamen, & parui momenti ex causa rationabili vẽdere possit, & in meliora permutare. Nullus quoque siluas, seù nemora incidi faciat, exceptis consuetis incisionibus, quæ statutis annis fieri consueuerunt, quæ omninò anticipari non possint: qui absque licentia Abbatis Generalis, aut Visitatorum Prouinciæ, & expresso consensu proprij Capituli huiusmodi vetitas incisiones fieri fecerit, sit suspensus à Prælatura per duos menses, & iuxta excessus qualitatem grauiùs vsque ad depositionem, puniri debebit. Nullus etiam subsidiarias pecunias, quæ vulgò scortæ Mona-

nasteriorum appellantur, à suis Prædecessoribus sibi relictas minuere possit, quin expleto proprio regimine illas in eadem qualitate, & quantitate in pecunia numerata, in manu Depositarij actualiter resignet, sub pęna priuationis officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad gradus, officia, & dignitates, prout dicetur in Capitulo de Depositario.

Spolia Defunctorum nullus Prælatus, vel administrator, aut quisuis alius sibi audeat appropriare, sed illa omnia inter redditus, & prouentus Monasterij, de cuius familia defunctus extiterat, integrè, fideliter, & veraciter incorporentur, & in libris cōputorum Monasterij inter illius redditus scribātur, sub pœnis impositis administratoribus bonorum temporalium fideliter non scribentibus in libris Monasteriorum omnes illorum redditus, & prouētus, de quibus infra dicetur.

Si quis missus de Monasterio ad Monasterium in itinere ex hac vita decesserit, illius spolia sint Monasterij, ex quo discesserat: quia illud Monasterium onus expensarum, quas circa ipsum defunctum, fieri continget, siuè in ægritudine, siuè etiam in funeralibus sustinere debebit.

Si quis Prælatus in administratione bonorum temporalium Monasterij infideliter egisse, aut de eius bonis sibi aliquid occultè, & fraudulenter vsurpasse conuictus fuerit (præter alias pœnas contentas in literis fel. rec. Pauli PP. III. quæ incipiunt. (Graue gerimus) & in fine huius libri sunt appositæ ab Abbate Generali cum consilio duorum Visitatorum

torum statim à regimine deponatur, & grauius etiã iuxta qualitatem, & quantitatem delicti puniatur.

Quolibet anno saltèm bis omnia bona mobilia Monasteriorum per Prælatos, vnà cum ratiocinatoribus, & inuentarijs visitentur, & cum ipsis inuẽtaris conferantur, & illorum status, cum visitabuntur, in inuentarijs notetur.

De Prælatorum facultate circa administrationem bonorum immobilium. Caput VI.

NVllus Prælatus bona aliqua Monasterij immobilia, vel iura, vel censûs perpetuos, & similia vendere, permutare, aut alio modo, seù titulo, alienare, vel hypothecare, vel Monasterium, aut aliquod eius membrum, aut partem cuiuis personæ Collegio, vel Vniuersitati valeat obligare, sine expressa licentia Abbatis, vel Capituli Generalis, & etiã Capituli sui Monasterij, sub pœna priuationis omnium dignitatum, & omnium officiorum, quæ obtinebit ipso facto incurrendi, & perpetuæ inhabilitatis ad hæc inposterum obtinenda, præter alias pœnas per sacros Canones contra alienatores bonorum Ecclesiasticorum promulgatas.

Nullus Prælatus absque licentia Sedis Apostolicæ, & Abbatis Generalis, aliquam partem bonorũ immobilium, etiam minimam, alicui personę, Collegio, vel Vniuersitati in emphyteusim, siuè ad

censum perpetuum concedat, ijs exceptis, quæ aliàs solita essent in emphyteusim tradi, & nōdum essent Monasterio incorporata. Imò cum de cætero contigerit, aliquam inuestituram bonorum emphyteuticorum renouari, id minimè fiat sine notitia, & consensu Abbatis Generalis, vel Visitatorum Prouinciæ. Bona verò, quæ ob lineam finitam ad Monasteria reuertentur, statim ipsis Monasterijs incorporentur; neque deinceps personæ seculares de eiusmodi bonis inuestiantur; nisi de communi consensu totius definitorij, & cum hac conditione, vt accipientes inuestituram, soluant duas ex tribus partibus valoris dictorum bonorum. Inuestituræ absque huiusmodi cōsensu factæ sint nullæ, & Prælati sic inuestientes, ipso facto Prælaturis priuati existant, saltèm per annum.

Locationes bonorum immobilium vltra triennium non fiant sine licentia Sedis Apostolicæ exceptis casibus in Breui Sanctissimi D. N. Pauli V. anno 1608. editi expressis, in quibus cōceditur nobis facultas locandi bona immobilia ad longum tēpus, ad quod habeatur relatio. Nec possint Prælati eorundem bonorum locationes anticipare, sed in vltimo anno primæ locationis secunda fiat. Non possint etiam fructus, siuè affictus anni sequentis anticipatò præaccipere, quòd si aliquid præacceperint, illud in fine anni apud Depositarios fideliter, & integrè deponere inter redditus anni sequentis computandum, & Prælato anni sequentis resignandum teneantur. Contrafacientes careant voce acti-

ua,& passiua per annum, & grauiùs iuxta excessus qualitatem puniantur.

Locationes bonorum immobilium,quorum annui fructus, seù affictus summam centum aureorũ excedent, Prælati nullo modo facere possint sine tractatu,& expresso consensu Capitulorum suorum Monasteriorum,aliter locationes sint nullæ. Nõ liceat etiã bona Monasteriorũ nostris Canonicis, vel Conuersis in affictum cõcedere; si autem concessa fuerint, ipsi Canonici, vel Cõuersi ab eiusmodi administrationibus statim remoueantur, & grauissimè tàm locatores, quàm Conductores puniantur.

Laudemia,quæ pro renouatione inuestiturarum bonorum emphyteuticorum à Pręlatis accipientur, & pecunias,quas in initio cuiuslibet locationis iuxta morem, & consuetudinem locorum titulo donationis perceperint,teneantur inter redditus Monasteriorũ fideliter incorporare, & in libris cõputorũ scribi facere,sub pœnis impositis ministris fideliter non scribentibus bona,& redditus Monasteriorum.

Bona immobilia saltèm semel in anno per quẽlibet Prælatum visitentur cum Inuentario, in quo singulis vicibus illorum status describatur.

De Vicarijs. Caput VII.

VIcarij locorum à proprijs Prælatis eligendi erunt ex Canonicis familiæ suorum subditorum, quibus ipsi Prælati vices suas cõmittant, & ipsos Prælatos adiuuent in proprij offi-

cij muneribus exequendis. Sic autem electi, Abbati Generali, & Diffinitoribus tempore Generalis Capituli, vel Dietæ proponendi erunt, ab ipsis vel approbandi, vel reprobandi. Vicarij locorum in Monasterijs, in quibus Prælati sunt Abbates, vocabuntur Priores Claustrales: vbi autem Prælati non sunt, Abbates vocabuntur Vicarij. In proprijs Monasterijs, in quibus erunt Vicarij, primum locum, & sedem habebunt post Prælatos Monasteriorum, & & Visitatores, & alios Prælatos. Ipsis neque Visitatores, neque cæteri Prælati cum domo egredientur, vel cum reuertentur genuflectent, imò in omnibus in quibus attenditur dignitas, & præeminētia, ipsos Vicarios etiam in proprijs Monasterijs illorum residentiæ præcedere debebunt; non tñ aliquam iurisdictionē ibidem exercebūt. Cùm Vicarij fuerint extra loca propriæ residentiæ iuxta priorem, vel posteriorem susceptionem habitus Religionis in proprijs locis apud cæteros Canonicos manebunt cum Vicariatus sit officium, & non dignitas.

Auctoritas, & iurisdictio Vicariorum tanta erit, quantam Prælati locorum illis tribuendam esse oportunum iudicabunt. In absentia propriorum Prælatorum spiritualem iurisdictionem in subditos exercebunt subditis: licētiam confitendi, & domo exeundi tribuent; qui subditi domo exeuntes ab eis licentiam petere debebunt, & genuflexi benedictionem accipere, & similiter cum domum regredientur; si tamen contingat aliquem Prælatum forensem adesse cum aliquo suorum subditorum;

ille non à Vicario loci, ſed à proprio Prælato huiuſmodi licentias petere debebit, ſub cuius obedientia, & iuriſdictione etiam in tali caſu intelligitur eſſe conſtitutus. Poterunt Vicarij culpas ſubditorũ, etiam Nouitiorum audire, & pœnitentijs in Congregatione conſuetis corrigere. Adminiſtrationem verò bonorum temporalium ſiuè mobilium, ſiuè immobilium nullo modo exercebunt, neque bona Monaſteriorum commodabunt, aut locabunt, nec alio modo alienabunt, nec aliquem Nouitium, ſiuè Canonicum, ſiuè Conuerſum ad habitum probationis, aut profeſſionis recipere poterunt, neque de Monaſterio eijcere, niſi ex ſpeciali commiſſione propriorum Prælatorum; aut niſi Prælati ab initio omnem iuriſdictionem in ſpiritualibus, & temporalibus ipſis Vicarijs tribuerint, & delegauerint.

Ad officium Vicariorum ſpectabit primùm quidem Ordinis Conſtitutiones ſeruare, deinde vt à ſubditis obſeruentur impensè curare, prę ſertim quę ſpectabunt ad ſilentium in Eccleſia, & Dormitorio, & Refectorio, & ad modeſtiam in conuerſatione ſeruandam, ad curam infirmorum, & hoſpitum, & ád ſeruitium Chori, & Eccleſiæ, cui die noctuq; aſſiſtere ſtudebunt. Quare ipſi Vicarij inprimis curare debebunt vt diuina officia ſtatutis horis ſiuè cũ cantu, ſiuè abſque illo in Choro conuentualiter dicantur, & vt in officijs recitandis, & Miſsis cantádis, & in oĩbus alijs eccleſiaſticis fũctionibus Rubricæ Miſſalis, cęremonialis, & Breuiarij, & Directorij Romani, & Calendariorũ, quæ ab Ordinarijs locorũ

edi solent, exactè obseruentur. Curabunt etiam vt Altarium ornamenta, mappæ, Candelabra, Cruces, Icones, & similia mundissimè, & decentissimè per Sacristam teneantur, quæ omnia saltèm semel in hebdomada visitare debebunt. Peculiarem etiam habebunt diligentiam, & curam, vt domus nostræ mundæ sint, & saltèm semel in hebdomada per eos, quibus iniunctum id fuerit, euerrantur: & vt hi, qui infirmorum curæ, vel hospitum deputabuntur, suo muneri diligenter satisfaciant. Cùm autem illi, qui hospitiorum curæ erunt deputati, ab officijs amouebuntur, curabunt ipsi Vicarij, vt omnis hospitiorum supellex ijs, qui in officio succedent, integrè per inuentarium resignetur.

Officium Vicarij etiam vacante Prælato, cuius erit Vicarius, non vacabit, nisi Abbati Generali videatur aliter expedire. Non poterit tamen Vicarius duo officia simul incompatibilia vllo pacto exercere, vt officiũ Vicarij, & œconomi, vel Procuratoris, vel Curati animarum, aliàs Vicariatus ad nullum effectum illi valeat prodesse. Nullus etiam Vicarius ab officio hebdomadariæ, & Missæ cantandæ pro vice illum tangente, immunis censeatur.

Et quia assumendi ad officia tales esse debẽt, qui per se ipsos propria munera dignè, & laudabiliter valeant exercere, præsertim ea, quæ ad seruitium Chori, & Ecclesiæ spectabunt, iuxta Constitutionẽ nostram aliàs factam, quam nũc innouamus; statuimus, vt nullus ad officium Vicariatus sit eligibilis, qui cantum Ecclesiasticum, & cæremonias Ecclesiasti-

ſiaſticas ita rectè non didicerit, vt valeat Chorum regere, Miſſas cùm opus fuerit, cantare, & alia ad ſuum officium ſpectantia per ſe ipſum laudabiliter exercere. Quicunque contra formam huius Conſtitutionis fuerit electus, ab officio remoueatur, & Vicariatus ad nullum effectum ei proſit, ſiuè ad Prælaturas obtinendas, ſiuè ad quiduis aliud.

Nullus etiam in Vicarium eligi poſſit, qui ea ſcientia, & prudentia præditus non ſit, qua propriæ iuriſdictionis munera rectè valeat exercere & aptus ſit ad curam animarum exercendam, & hoc præcipuè ſeruetur in locis ſtudiorum, necnon in Monaſterijs, quæ habent adiunctum regimen ſanctimonialium, cum longa experientia docuerit, abſentibus Prælatis ob imperitiam Vicariorum non læuia inconuenientia multoties euenire. Quare eligendi in Vicarios, debebunt eſſe vel Prædicatores confirmati, vel ſaltèm ab examinatoribus deputatis corá Abbate Generali, aut Viſitatoribus diligenter examinati, & taliter probati, vt propriæ ſufficientiæ habeant teſtimonium per ſcripturam eorundem examinatorum manu, & iuraměto firmatam, aliàs ſint ineligibiles, & etiam electi ab officijs amoueantur. Nullus quoque in Vicarium eligi poſſit, qui non ſteterit ſaltèm per duodecim annos in noſtra Congregatione, & quadriennium in Sacerdotio nő expleuerit, nullus priuatus voce actiua, & paſſiua, nullus de aliquo crimine, ex quo incurritur infamia, vel conuictus, vel inditiatus, niſi canonicè prius ſe

ipſum purgauerit, quia infamibus ianuæ dignitatum patère non debent.

Et vti ipſi Vicarij ad propria munera obeunda idonei liberiùs, & libentiùs ſua officia poſſint exercere, non licebit Prælatis locorum, præter ipſos Vicarios, alios Viceprælatos in proprijs Monaſterijs creare, niſi ob cauſam grauiſſimam abſentiæ, aut ægritudinis ipſorum Prælatorum, aut Vicariorum, vel ob aliam cauſam ab Abbate Generali probandam, & ſi contra formam huius Conſtitutionis aliqui Viceprælati in quibuſuis Monaſterijs reperiantur, Patres Viſitatores illos remoueant, & in Ordinem ſtatim redigant. Si autem Vicarij minus ſint idonei proprijs muneribus exercendis, ab officijs remoueantur, & alij loco eorum conſtituantur.

Demùm iuxta antiquas Ordinis Conſtitutiones Vicariatus ipſæ nulli ſuffragetur ad aliquem effectum niſi fuerit abſolutus in aliquo Monaſterio, vbi ſaltèm ſit ſeptenarius numerus Canonicorum, & vbi Horæ canonicæ conuentualiter recitentur.

De Magiſtris Nouitiorum. Caput VIII.

MAgiſtri Nouitiorum in Capitulo Generali, vel in Dieta ſaltèm per tres annos duraturi à toto Diffinitorio eligendi erunt; neque licebit Prælatis locorum, in quibus Nouitiatus exiſtent, propria auctoritate, abſque certa notitia,

& aſſen-

& aſſenſu Diffinitorii Magiſtros Nouitiorũ creare, niſi caſus contingat, vt propter infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum Magiſter à Diffinitorio creatus in proprio officio minimè durare poſſit, quo caſu Abbas alterum eius loco vſque ad proximum inde habendum Capitulum, vel Dietam ſubſtituet: maximè enim refert, vt huic officio non niſi perſonæ laudatæ, & probatæ vitæ deputentur.

Magiſtri Nouitiorum Sacerdotes ſaltèm per decem annos in noſtra Congregatione profeſſi, qui trigeſimum ætatis annum exceſſerint, eſſe debebũt: doctrinæ, & vitæ anteactæ exemplo præſtantes, orationis, & mortificationis operibus addicti, prudentes, & cum affabilitate graues, zelum Dei cum manſuetudine coniunctum habentes, & ab omni animi perturbatione, præſertim ira, & indignatione alieni, & tales, qui in omnibus ſe ipſos bonorum operum præbeant exempla. Et ſi fieri poterit, erunt etiam in ſcientiis optimè eruditi, vt valeant, non ſolùm Grammaticam, verùm etiam Logicam, & principia naturalis Philoſophiæ Nouitios docere, quæ ſaltèm poſt emiſſam profeſſionem Nouitii diſcere debebunt.

Præcipuũ officium Magiſtri Nouitiorũ erit curam diligentem adhibere, vt Nouitii in regulari diſciplina rectè inſtituantur, & exerceantur, necnõ in cantu, & cęremoniis eccleſiaſticis, & aliis functionibus obſeruãtiis, exercitiis, & cõſuetudinibus noſtræ Congregationis tũ ſpiritualibus, tũ corporalibus, ſicut

cut dictum est in fine primæ partis præsentium Constitutionum. Quare absolutam, & plenam potestatem habebit circa regimen Nouitiatus, & ipsorum Nouitiorum institutionem, nullusque præter illum, exceptis Abbate Generali, Visitatoribus, & loci Prælato, in regimine, & institutione Nouitiorum sese intromittere vllo pacto audebit.

Quo faciliùs Magistri Nouitiorum suis muneribus incũbere possint, & plures personæ ad hæc munera idoneæ in nostra Congregatione habeantur, primùm quidem statuimus, illas ab omnibus alijs officijs, & oneribus, quæ regimen, & curam Nouitiorum impediant, omninò vacare debere. Deinde vt Magistri à Diffinitorio in Capitulo Generali, vel in Dieta electi si per tres annos integros officium Magisterij laudabiliter exercuerint, & alia requisita habuerint, quibus in Vicarios eligi possint, Magisterium Nouitiorum eis valeat pro tribus annis Vicariatus, ita vt absque aliquo Vicariatu eligi possint ad omnes dignitates, gradus, & officia nostræ Congregationis.

De literarum studijs.
Caput IX.

QVia nostri instituti ratio expostulat, vt non solùm propriæ saluti, & perfectioni insistamus, sed populos docendo, etiam illo-

rum

rum ſalutem cum Dei gratia procuremus, quippè qui ſumus per eſſentiam Clerici, quibus ex officio incumbit non ſolùm propria peccata plangere, ſed etiam populos legem Domini docere vt S. Hieronymus,& D.Thomas docent. Abbas Generalis, Viſitatores, ac cæteri omnes Congregationis Patres totis viribus ſtudere debebunt, vt noſtri Canonici in Diuina Scriptura, in facultate caſuum conſcientiæ, necnon in Sacra Theologia, & alijs ſcientijs liberalibus, quæ ad eandem Sacram Theologiam addiſcendam diſponunt, diligentiſſimè, & exactiſſimè, quantum fieri poterit, erudiantur. Hoc autem, quo rectiùs fieri poſſit, in Capitulo Generali, vel in Dieta per Diffinitorium certa Monaſteria pro locis ſtudiorum deſignanda erunt, in quibus ſtudia ſciẽtiarum ita inter ſe diſtincta ſint, vt in aliquibus ſint ſtudia Logicæ, in alijs Philoſophiæ, in alijs verò Theologiæ, & nunquam in eodem loco diſcipuli diuerſis ſtudijs ſimul vacent, neque ſimul ſit ſtudium duarum facultatum, excepto quod in ſtudijs Logicæ, ad Nouitiorum mutationes vitandas; etiam principia naturalis Philoſophiæ legi poterunt.

c. Alia 16. q. 1. 2. 2. q. 188. art. 2.

Ipſis Monaſterijs pro literarum ſtudijs deſignatis, non niſi perſonæ morum grauitate, & doctrinę eruditione conſpicuæ præficiantur, quæ in ſcientiis ſcholaſticis ſint verſatæ, & ta'es, vt non ſolùm vitæ exemplo, & auctoritate feruẽtem adoleſcẽtiam valeant coercere; ſed quantum quiſque in ſcientiis proficiat, cognoſcere, & negligentes redarguere: quare vt tales Prælati in locis ſtudiorũ haberi poſ-

ſint,

ſint, abſque vlla perſonarum, vel nationum exceptione, aut acceptione perſonæ virtute, & meritis præſtantes ad prælaturas dictorum Monaſteriorum aſſumantur.

Prælati locorum ſtudiorum quo frequentiùs poterũt publicis lectionibus, repetitionibus, & diſputationibus intereſſe debebunt; obſeruabuntque diligenter, an tàm Lectores, quàm Scholares ſua munera obire ſtudeãt; an ſint aliqui ad facultates, quibus incumbent, addiſcendas minùs apti, vel qui quotidianis lectionibus, & diſputationibus ſine legitimo impedimento non interſint, vt valeant non ſolùm negligentes diſciplinis, & obiurgationibus ad ſtudia literarum excitare; ſed etiam de ſingulorum ſtudentium profectu Abbatem Generalem, Viſitatores, & ſtudiorum Reformatores certiores facere; quod tum ipſi Prælati, tùm etiam Lectores tempore viſitationum, Dietæ, & Capituli Generalis, aut viua voce, aut per literas omninò facere debebunt.

In quibuſlibet ſtudijs noſtræ Congregationis, ſi fieri poſſit, Lectores ex noſtris Canonicis, præſertim in ſtudijs Sacræ Theologiæ conſtituantur; quia maximè refert plures in hac facultate optimè verſatos in Congregatione habere. Si tamen non omnes Lectores ex noſtris aſſumi poſſint, ex alijs Ordinibus præſertim ex D. Dominici Ordine aſſumantur: Laici verò non niſi probatæ vitæ, & doctrinæ, ad quamcunque facultatem in noſtris ſtudijs profitendam conducantur.

Qui-

Quibus temporibus generales vacationes non erunt, quilibet Lector singula hebdomada saltèm quatuor lectiones ordinarias habebit, nisi plura festã intra eandem hebdomadam occurrentia impediãt; quo casu in die vacationis ordinariæ, lectio haberi debebit. Singulis diebus, quibus ordinariæ lectiones habebuntur, fiant repetitiones illarum, ad quas cum Prælato, vel Vicario Prælato absente, ac Lectoribus omnes scholares conuenire debebunt, ex quibus vnus, Prælato, aut Lectore iubente, lectionẽ replicabit, absoluta verò repetitione duo, aut tres contra dicta in lectione, dubia mouendo disputabunt.

Singulis, aut saltèm alternis sabbathis, fiant publicæ disputationes in scholis, aliquo ex scholaribus proponente ad disputandum themata ex ordinarijs lectionibus habitis deprompta, alijs verò duobus, vel tribus contra arguentibus; quibus disputationibus cum scholaribus, & Lectoribus, Prelati, nisi grauissimo impedimento detenti, intersint.

In studijs Philosophiæ, & Theologiæ, saltèm quater in anno proponantur à nostris aliqua themata publicè disputanda; fiantque publicæ disputationes inuitatis Religiosis aliorum Ordinum, & alijs scholasticis doctis ad argumentandum. Eiusmodi verò disputationes tunc commodè fieri poterunt, cum vacationes erunt ab ordinarijs lectionibus.

Lectiones ordinariæ habebuntur Feria secunda, tertia, quarta, & sexta: feria quinta semper vacabit,

nisi sit dies vigiliæ, vel nisi plura festa intra hebdomadam occurrant. A festo exaltationis S. Crucis vsque ad festum Præsentationis B.M.V. à Dominica prima Aduentus, vsque ad Dominicam Septuagesimæ. A Dominica prima Quadragesimæ, vsque ad Dominicam Palmarum; à Dominica in Albis, vsque ad festum Pentecostes; à Dominica Sanctissimæ Trinitatis vsque ad Calendas Augusti ordinariæ lectiones hebebuntur: cæteris diebus vacationes erunt.

Dec. Clem. PP. VIII. pro Refor. Reg. 2.

In omnibus studijs saltèm semel in hebdomada; nempè die dominico, vel alio festo intra hebdomadam occurrẽte habebitur lectio de diuina Scriptura, vel de iure canonico, aut de casibus conscientiæ, ad quam non solùm studentes, sed cæteri omnes Canonici conuenire teneantur. Die verò sabbathi collatio circa eosdem casus conscientiæ fieri debebit; cui collationi similiter omnes Canonici intersint, parati ad dicendum circa ea, de quibus per Prælatũ, aut Lectorem fuerint interrogati. In alijs verò Monasterijs extra loca studiorum, eadem lectio casuum conscientiæ saltèm bis in hebdomada habenda erit, per Lectorem, qui sit in re benè versatus, & difficultatibus propositis tum domi, tum foris satisfacere posit. Ipsis autem lectionibus Canonici omnes cum Prælato intersint, & post lectiones collationes faciant circa casus, & dubia in lectionibus proposita. Canonici, qui lectionibus, & collationibus non intererunt, pro qualibet vice, habeant claustrum per quindecim dies; & Prælati hanc Constitutionẽ

in

in ſuis Monaſterijs ſeruari minimè facientes, faciāt ipſi diſciplinam publicè tempore viſitationum.

Et quia non ſunt æqualia omnium ingenia, & plures inuenientur ad diſcendas ſcientias ſpeculatiuas minus idonei; ne eiuſmodi Canonici otioſi abſque diſciplina per clauſtra vagari permittantur, in Capitulo Generali, vel Dieta primo quoque tempore celebrandis, Abbas Generalis cum Diffinitoribus vnum, vel plura Monaſteria deputabunt, in quibus Clerici ad diſcendas ſcientias ſpeculatiuas minus apti, ea doceantur, quæ ſaltèm ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & omnibus Sacerdotibus ſunt ſcitu neceſſaria. Prouidebiturque eiuſmodi Clericis de Magiſtro idoneo, vel ex noſtris, vel ex alio Ordine ſecundùm illorum indigentiam, iuxta antiquā Ordinis Conſtitutionem, quam modò innouamus. Si verò extra prędicta loca Pręlati ob ſeruitium Eccleſiarū voluerint Clericos in ſuis Monaſterijs habere, teneantur de idoneo Magiſtro illis prouidere; aliàs Patres Viſitatores, tempore viſitationum, aut de idoneo Magiſtro illis prouideāt, aut ad alia Monaſteria tranſmittant, in quibus adſint Magiſtri ad illos erudiendos, idque fiat expenſis Prælatorum, à quorum Monaſterijs amouebuntur, & hæc Conſtitutio indiſpenſabiliter ſeruetur.

Tandem curabunt Abbates Generales, Viſitatores, & cæteri Patres, vt ſtudiorum Vniuerſitates, & Nouitiatus optimè regantur, & in dictis locis regularis diſciplina minimè relaxetur.

Qualiter Canonici noſtri ad ſtudia ſcientiarum ſint admittendi. Caput X.

CAnonici noſtri ad literarum ſtudia ſine delectu non admittantur: Poſt emiſſam profeſſionẽ Clerici omnes per ſtudiorum Reformatores examinentur, & qui ſcientijs ſpeculatiuis addiſcendis idonei reperientur, Logicæ facultati ſtatim opera dare incipient; alij verò, qui vel ob ætatem, vel ingenij debilitatem minus apti fuerint, caſibus conſcientiæ ſimiliter diſcendis deputabuntur.

Logicæ curſus integro anno abſoluendus erit. Nullus tamen poſt huiuſmodi curſum abſolutum ad ſtudium Philoſophiæ admittendus erit, niſi prę uio examine per Reformatores ſtudiorum in logica facultate, & præſertim in arte argumentandi, & diſputandi ſufficienter inſtructus repertus fuerit. Quod ſi ad Philoſophiam diſcendam nõdum aptus videbitur, iterum per annum Logicæ facultati operam dabit. Si autem poſt ſecundum annum minus idoneus repertus fuerit, à ſtudio ſcientiarum ſcholaſticarum remouendus erit, & ad diſcendos caſus conſcientiæ tranſmittendus.

Naturalis Philoſophiæ curſus integro biennio explendus erit, binis quolibet die lectionibus matutinis ſcilicet, ac veſpertinis. Qui curſus poſtquam

ab-

absolutus fuerit, non tamen scholares ad Theologiã admittentur, nisi iterum examinati, in Philosophia sufficienter eruditi reperti fuerint; si autem in ea minus rectè fuerint instructi, iterum per annum ipsi Philosophiæ operam dabunt.

Theologiæ cursus binis quolibet die lectionibus matutinis, & vespertinis integro quadriennio perficiatur, cui studio tanquam fini aliorum studiorum principaliter incumbere debebunt. Nullus autem à studio ipsius Theologiæ licentiari poterit, qui integro quadriennio huic facultati addiscendæ operam non dederit, & per examen rigorosum idoneus repertus fuerit, qui possit, ac debeat licentiari. Si autẽ ob aliquam causam, ante absolutum cursum studiorum, aliquis à quouis loco remouendus erit, ad alium locum transmitti debebit, in quo studiorum suorum cursum vsque ad finẽ ordinatè prosequatur, nisi ob graue delictum aliter cum eo sit agendum.

Cum quis absoluto cursu studiorum à scholis licentiari postulabit, hoc pacto ad illi concedatur: Proponantur ei per illos, ad quos spectabit, duo themata explicãda, vel ex primo, & tertio sententiarũ, vel ex secũdo, & quarto: quæ licentiãdus ipse intra spatiũ viginti quatuor horarũ in schola publicè explicabit, & defendet, Lectoribus, vel alijs ad libitum Reformatorũ, contra eadem themata dubitantibus, & arguentibus. Et tunc demùm si Reformatoribus studiorũ, ac ipsis Lectoribus videbitur, poterit licẽtiari. Publicas tamen Conclusiones ex Sacra Theologia, saltèm in fine studiorum, quisque publicè defen-

fendere teneatur. Idem ſeruetur in fine ſtudiorum Philoſophiæ, & Logicæ.

Prælati ſtudiorum, ſcholares quos deſides, & negligentes viderint, adhortationibus, & increpationibus ad ſtudia excitabunt, etiam ad vtiliora exercitia, ſi opus fuerit, illos deputando, & in loco infimo inter condiſcipulos conſtituendo.

De Lectoribus. Caput XI.

Dec Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 37.

LEctores in noſtris ſtudijs per Abbatem Generalem, & Reformatores ſtudiorum prius examinati, & approbati ad huiuſmodi munus deputentur: nec liceat Prælatis locorum ſtudiorum, aliquem ſiuè ex noſtris Canonicis, ſiuè extraneum ad legendum quamcunque facultatem propria auctoritate aduocare.

Qui ad legendum facultates deputabuntur, tales eſſe debebunt, qui non ſolùm doctrina, ſed etiam moribus, & vitæ exemplo diſcipulos doceant; qui ſimultates in Monaſterijs non foueant, nec conuenticula ſcholarium faciant, ſed pacem, & concordiã, & obedientiam, ac reuerentiam erga Superiores ipſos diſcipulos inſtruant: & qui tales non fuerint, ad lecturas non admittantur, & admiſſi ſtatim remoueantur, & ſi ex noſtris fuerint, grauiter à Superioribus corripiantur, non ſolùm priuatione officij Lecturæ, verùm etiam Prædicatoratus, & alijs pœnis ad arbitrium Superiorum. Nullus ex noſtris niſi abſoluto curſu ſtudiorum, & præcedentibus

exa-

examine, & alijs, de quibus in capitulo præcedenti, idoneus repertus, & licentiatus, & in Capitulo Generali Prædicator electus ad legendas ſcientias ſpeculatiuas in noſtris ſtudijs poſſit deputari, etiam ad legēdum Logicam, quæ vt à Lectoribus in ea optimè verſatis, & eruditis legatur, impensè curari debebit, tum propter graues difficultates, quibus illa vndique ſcatet, tum propter debilitatem ingeniorū quæ illi addiſcendæ operam dare primò incipient. Quapropter Abbas Generalis, & alij Patres diligentiſſimè curabunt, vt ad Logicam legendam, & principia naturalis Philoſophiæ Lectores idonei ex noſtra Congregatione habeantur, quia maximi intereſt tyrones in principijs optimè erudiri, & paruus error in principio, eſt maximus in progreſſu.

In ſtudijs Philoſophiæ duo Lectores ordinarij, ſi fieri poſſit, in quolibet loco erunt, quorum alter matutinis, alter veſpertinis horis profitebitur: ſin autem, vnus & idem Lector binas quolibet die lectiones matutinas, & veſpertinas habere debebit. In quolibet verò ſtudio Sacræ Theologiæ duo diſtincti Lectores ſemper erunt, quorum alter mane, alter veſpere profiteatur: cum per vnum Lectorem integer curſus Theologiæ quadriennij ſpatio minimè expleri poſſit. Si tamen ambo Theologi ex noſtris haberi non poterunt, ſaltem alter ſit ex noſtris, alter verò ex Ordine D. Dominici, vel ex alio, qui viam D. Thomæ Aquinatis ſequatur, quam in noſtris ſcholis ſequendam fore mandamus.

Vt autem omnis occaſio altercandi de primatu

inter

fendere teneatur. Idem seruetur in fine studiorum Philosophiæ, & Logicæ.

Prælati studiorum, scholares quos desides, & negligentes viderint, adhortationibus, & increpationibus ad studia excitabunt, etiam ad vtiliora exercitia, si opus fuerit, illos deputando, & in loco infimo inter condiscipulos constituendo.

De Lectoribus. Caput XI.

Dec Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 37.

LEctores in nostris studijs per Abbatem Generalem, & Reformatores studiorum prius examinati, & approbati ad huiusmodi munus deputentur: nec liceat Prælatis locorum studiorum, aliquem siuè ex nostris Canonicis, siuè extraneum ad legendum quamcunque facultatem propria auctoritate aduocare.

Qui ad legendum facultates deputabuntur, tales esse debebunt, qui non solùm doctrina, sed etiam moribus, & vitæ exemplo discipulos doceant; qui simultates in Monasterijs non foueant, nec conuenticula scholarium faciant, sed pacem, & concordiã, & obedientiam, ac reuerentiam erga Superiores ipsos discipulos instruant: & qui tales non fuerint, ad lecturas non admittantur, & admissi statim remoueantur, & si ex nostris fuerint, grauiter à Superioribus corripiantur, non solùm priuatione officij Lecturæ, verùm etiam Prædicatoratus, & alijs pœnis ad arbitrium Superiorum. Nullus ex nostris nisi absoluto cursu studiorum, & præcedentibus

exa-

examine, & alijs, de quibus in capitulo præcedenti, idoneus repertus, & licentiatus, & in Capitulo Generali Prædicator electus ad legendas scientias speculatiuas in nostris studijs possit deputari, etiam ad legẽdum Logicam, quæ vt à Lectoribus in ea optimè versatis, & eruditis legatur, impensè curari debebit, tum propter graues difficultates, quibus illa vndique scatet, tum propter debilitatem ingeniorũ quæ illi addiscendæ operam dare primò incipient. Quapropter Abbas Generalis, & alij Patres diligentissimè curabunt, vt ad Logicam legendam, & principia naturalis Philosophiæ Lectores idonei ex nostra Congregatione habeantur, quia maximi interest tyrones in principijs optimè erudiri, & paruus error in principio, est maximus in progressu.

In studijs Philosophiæ duo Lectores ordinarij, si fieri possit, in quolibet loco erunt, quorum alter matutinis, alter vespertinis horis profitebitur: sin autem, vnus & idem Lector binas quolibet die lectiones matutinas, & vespertinas habere debebit. In quolibet verò studio Sacræ Theologiæ duo distincti Lectores semper erunt, quorum alter mane, alter vespere profiteatur: cum per vnum Lectorem integer cursus Theologiæ quadriennij spatio minimè expleri possit. Si tamen ambo Theologi ex nostris haberi non poterunt, saltem alter sit ex nostris, alter verò ex Ordine D. Dominici, vel ex alio, qui viam D. Thomæ Aquinatis sequatur, quam in nostris scholis sequendam fore mandamus.

Vt autem omnis occasio altercandi de primatu

inter

inter noſtros Lectores tollatur, primùm præcipimus vt nullus in meſſem alienam manum mittat, alterius doctrinam ſiuè publicè, ſiuè priuatim notando, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per annum, ſed ſi inter illos ſit diuerſitas opinionũ, quilibet cum modeſtia ſuam opinionem proferre debebit, & alterum honore ſemper præuenire; deinde ſtatuimus, inter ipſos Lectores eiuſdem facultatis nullam rationem maioritatis habendam eſſe, præter eam, quæ vel ex anterioritate ſuſceptionis habitus, vel ex priuilegio, vel ex aliqua dignitate habenda erit.

Porrò vt Lectores certam methodum in legendo obſeruent, in primis in Sacra Theologia viam D. Thomæ ſequendã præcipimus, quæ cæteris ſcholaſticorum vijs ordine doctrinæ, facilitate, integritate, & ſoliditate meritò præferri debet. In ijs verò, quæ ad naturalem Philoſophiam ſpectãt, à via Ariſtotelis minimè recedendum erit; nec nouæ ſectæ in noſtras ſcholas erunt introducẽdæ, per quas ſæpè ingenia ſine fructu diſcruciantur, & latenter ad errores ſternitur via. In ijs tamen, in quibus ſententia Ariſtotelis diſcrepat à catholica veritate, non ſolùm ab illo recedendum erit; ſed illius ſententia ſolidis argumentis confutari, & eius rationes ſolui debebũt iuxta Decretum Concilij Lateranenſis. Quod etiam in aliorum Philoſophorum placitis cum Fide Catholica pugnantibus, pro viribus ſemper efficiendum erit.

Seſſ. 8 ſub Leone X.

De Reformatoribus ſtudiorum, & publicis Examinatoribus.
Caput XII.

VT ea, quæ pro ſtudiorum inſtitutione, ac reformatione in præcedentibus ſtatuta fuerũt, inuiolabiliter ſeruẽtur, & exequutioni quáprimũ mandentur, præter Abbatem Generalẽ, & Viſitatores, qui ſemper ſtudiorum Reformatores erunt, eligantur per Diffinitorium in Capitulo Generali, vel Dieta aliquot graues, & periti ex noſtris Canonicis, quibus ſtudiorum Reformatio committatur, qui omnes, ac ſingulos tum ſcholares, tũ etiam Lectores intimè valeant cognoſcere, & ſcire, quid quolibet anno in quouis ſtudio legi contigerit, & quantum quiſque in ſtudijs proficiat, vſque ad abſolutum curſum ipſorum ſtudiorum. Eligendorum autem in Reformatores hæ potiſſimum cõditiones eſſe debebunt; erunt enim non ſolùm ætate graues, & omnes, ſi poſſibile fuerit, Prælati; ſed in ſcientijs ſcholaſticis optimè etiam verſati, quorum ſaltèm aliqui curſum Theologiæ profitendo expleuerint.

Ad illorum officium ſpectabit diligenter curare, vt Conſtitutiones Ordinis circa ſtudiorũ Reformationẽ editæ, vel in poſterum edendæ executioni demandentur, tàm circa Lectores, quá circa ſcholares; Quoties aliquis deputandus erit alicui facultati

addiſcendæ priùs à duobus Reformatoribus, vel ſaltèm ab vno illorum, & tunc coram Abbate Generali, vel aliquo ex Viſitatoribus, & loci Prælato examinari debebit: ipſum autem examen in particulari libello, quem ad hoc deſtinatum quilibet Reformator habebit, adnotandum erit, quod ſemper obſeruabitur, quotieſcunque continget, Reformatores aliquem examinare. Quotieſcunque aliquis à ſtudijs licentiari poſtulabit, vel in Prædicatorem eligendus erit, priùs à duobus Reformatoribus, vel ſaltèm ab aliquo illorum coram Abbate Generali, vel aliquo ex Viſitatoribus, & loci Prælato examinari debebit.

Nullus alicui ſcientiæ addiſcendæ poterit deputari, niſi priùs à Reformatoribus ſtudiorum per præuium examen idoneus repertus de ſua ſufficientia, & idoneitate ab eiſdem Reformatoribus literas teſtimoniales illorum manu ſubſcriptas, & iuramēto firmatas obtinuerit.

Cum primùm poterunt curabūt Reformatores, omnes, & ſingulos ſcholares in quibuſuis ſtudijs exiſtentes, & cuiuis facultati vacantes examinare. Idque vel duo illorum ſimul, vel quiſque per ſe efficiat, cum aſſiſtentia tamen Prælati cuiuſlibet loci ſtudiorum, aut etiam Abbatis Generalis, ſi commodè id fieri poſſit. Examen verò deſuper confectum ſcribere, & Catalogum omnium, & ſingulorum ſtudiorum conficere debebunt, in quo diſtinctè ſint adnotata nomina ſingulorum Lectorum, & ſcholariū, qui in quouis ſtudio exiſtent, & cui quiſ-

que ſcientiæ vel legendæ, vel addiſcendæ ſit deputatus, & quantum in ea valeat, vel proficiat, quem Catalogum poſtea alter alteri mittet, vt quilibet illorum integrum Catalogum habeat, & ſtatum omnium, & ſingulorum ſtudiorum intelligat: quem integrum Catalogum Abbati Generali, & Patribus Viſitatoribus exhibere debebunt.

Eligantur etiam in Capitulo Generali, vel Dieta ex qualibet Prouincia ſaltem tres ætate graues, docti, & periti, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum Canonicorum, ac Lectores publicos ſimul examinent, priuſquam probentur, & ad huiuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam munús erit probare quoad doctrinam, promouendos ad quoſcunque Ordines. Dec Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 37.

De nonnullis Priuilegijs Lectorum. Caput XIII.

VT libentiùs, ac faciliùs Lectores noſtri ſtudiorum labores ſubeant, & maiori ſolicitudine in profectum diſcipulorum inſudent, dum actu in ſtudijs noſtris lectiones habebunt, à ſeruitio Chori, & alijs communibus exercitijs immunes erunt, & cum honore à Prælatis, & alijs omnibus tractari debebunt. Qui per ſex annos in ſtudijs noſtris per Abbatem Generalem, & Diffinitores deſignatis, aliquam facultatem, vel plures carú

legerit, siuè cursu continuato, siuè etiam non continuato, dummodo per sex integros annos professus fuerit, & ad id per Abbatem Generalem, & alios, ad quos spectabit, deputatus fuerit, lectura sex annorum erit illi pro Vicariatu trium annorũ; si tamen alia requisita habuerit, & impedimenta cessauerint, de quibus dictum est in Capitulo de Vicarijs.

Quicunque ex nostris Canonicis in locis studiorum sic, vt præmissum est, designatis, vel inposterum designandis, per quindecim integros annos logicam facultatem, aut Philosophiam, aut Sacram Theologiam, aut omnes huiusmodi facultates, aut plures illarum successiuè, professus fuerit, & in suo munere laudabiliter se gesserit, & ad munus legendi per Abbatem Generalem, & alios, ad quos spectabit iuxta formam nostrarum Constitutionum, fuerit deputatus, in proxima Dieta, vel Capitulo Generali, postquam integrũ cursum eiusmodi Lecturę quindecim annorum expleuerit, eligatur in Prælatũ titularem ab ijs, ad quos spectabit. Sic verò electus omnibus priuilegijs, & præeminentijs verorũ Prælatorum nostræ Congregationis gaudebit; vestietur sicut vestiuntur cæteri Prælati ex cõmunibus pecunijs Monasterij; deputabitur illi vnus Conuersus, qui in suis necessitatibus, & oportunitatibus illi inseruiat, vocem actiuam & passiuã in omnibus Capitulis Generalibus; & in omnibus actionibus habebit, quã regulariter habent cæteri omnes veri Prælati nostræ Cõgregationis; & ad omnia munera, gra

dus,

dus, & officia, ad quæ cæteri Prælati nostræ Congregationis sunt eligibiles, similiter eligi poterit, tanquam si actualem administrationem exercuisset, quo priuilegio, & prælatura minimè priuari poterit, nisi ob graue delictum, propter quod aliquis à prælatura deponi mereretur. Et ne illi, qui hactenus in nostris studijs facultates legerūt, fructu laborum suorum priuentur, statuimus, vt hi, qui antea in nostris publicis studijs de mādato Abbatum Generalium ordinarias lectiones habuerunt, & dictum cursum quindecim annorum expleuerūt, eodem priuilegio statim gaudere possint. Si autem ipsum cursum nondum expleuerunt, dummodo in studijs designatis, vel designandis easdem facultates vsque ad expletum integrum cursum quindecim annorum professi fuerint, eodem priuilegio similiter gaudere valebunt; cessantibus tamen alijs priuilegijs, quæ illis hoc intuitu aliàs concessa fuissent. Eiusmodi verò priuilegio nullus inposterum decorari poterit, nisi ob similia, & alia publica seruitia toti Congregationi præstita, ne præmia virtutum personis minus dignis, & sine meritis conferantur.

Et quia hæc omnia ideò Lectoribus concedūtur, vt maior illorū copia in Congregatione habeatur, præcipimus, vt personę ad legendum habiles, cū per Abbatem Generalem, & Reformatores studiorum ad legēdum requisitæ fuerint, cessante vero, & legitimo impedimento munus legendi assumant; aliòquin omni, & quocunque priuilegio, etiamque prædicandi officio priuati existant, & alijs grauioribus

bus

bus pœnis ad arbitrium Abbatis Generalis puniantur. Non poterunt etiam Lectores extra tempora vacationum à proprijs studijs abesse, nisi ex aliqua grauissima causa, & ad breue tempus, nec etiam tempore Aduentus, & Quadragesimæ, prædicare, ne studia Lectoribus destituta cum graui detrimento, remanere contingat.

De Prædicatoribus. Caput XIV.

QVia maximè interest, munus prædicationis à personis idoneis, & probatæ vitæ, ac doctrinæ exerceri, statuimus, vt nullus ex nostris Canonicis publicè conciones ad populos in pulpitis habeat, nisi per Diffinitorium in Capitulo Generali, vel in Dieta de consensu Capituli Generalis, fuerit pro idoneo ad hoc munus probatus, & electus, sine qua probatione, & electione nec etiam Abbas Generalis, nec Visitatores licentiam prædicandi alicui concedere poterunt; & qui non probatus, & electus, & sine licentia in scriptis obtenta publicè prædicare ausus fuerit, voce actiua, & passiua per tres annos, & spe prædicandi in perpetuum careat.

Nullus in prædicatorem eligi possit, nisi Sacerdos, qui absoluto cursu Theologiæ, & factis tentatiuis per recitationem thematum sibi propositorũ, & propositis ad disputandum publicè aliquibus cõclusionibus, à Reformatoribus studiorum fuerit à studijs licentiatus, & tanquam idoneus ad hoc mu-

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 37.

nus

nus obeundum approbatus, & qui suæ approbationis literas testimoniales manu eorũdem Reformatorum, & illorum iuramento firmatas obtinuerit, & Diffinitorio præsentauerit, & insuper alias literas testimoniales proprij Prælati circa illius vitam, & mores, eiusdem Prælati manu, & iuramento firmatas similiter obtinuerit, & Diffinitorio præsentauerit. Qui verò sine huiusmodi literis testimonialibus tàm circa doctrinam, quàm circa vitam, & mores in prædicatorem electus fuerit, non censeatur verè electus, & electio ad nullum effectum illi suffragetur.

Electio Prædicatorum in hunc modum fieri debebit. Exhibitis Diffinitorio, veris, & legitimis attestationibus de sufficientia doctrinæ, & probitate vitæ eligendorum, & per Scribam, seù publicum Notarium Congregationis diligenter visis, & consideratis, Diffinitores singulos eligant per vota secreta iuxta formam electionis canonicæ in tertia parte tradendam, Abbate Generali singulos proponente, & singulis Diffinitoribus propria vota ferentibus per fabas, seù calculos nigros, & albos. Sic verò per Diffinitores electi toti Capitulo Generali proponendi erunt, & si Capitulo videbitur, pro verè electis habebuntur, sufficietque consensus ab ipso Capitulo viua voce præstitus sine scrutinio secreto. Prædicatores tamen sic in Capitulo Generali electi, prædicare non poterunt absque speciali licentia Abbatis Generalis, aut Visitatorum tempore visitationum in scriptis obtinenda, nec non etiam pro-

prij

prij Prælati, cui subiecti erunt.

Prædicatores sic electi, non permittentur publicè prædicare in aliqua Ciuitate, vel Diœcesi, nisi ab Ordinarijs locorum, in quibus prædicabunt, vel in quibus erunt de familia, ad confessiones personarum secularium audiendas admissi, vt maior copia Confessariorum in nostris Ecclesijs habeatur.

Vt etiam ipsis Prædicatoribus occasiones vagandi amputentur, nullus ad quemcunque locum vltra tres dietas à loco propriæ residentiæ distantem, causa prædicandi proficisci possit, exceptis Prædicatoribus insignioribus, quos si ad loca distantia causa prædicandi ire oportuerit, licentiam specialem ab Abbate Generali, aut Visitatoribus tempore visitationum super hoc obtinere debebunt. Cauebunt insuper locorum Prælati ne à proprijs Monasterijs, tot Prædicatores discedere permittant, vt propter illorum absentiam Ecclesiæ destituantur, presertim in Quadragesima; quas si per absentiam Prædicatorum solitis seruitijs Missarum, vel Diuinorum Officiorum destitui contingat, ipsi Prælati acriter corripiantur, nullus etiam in aliqua Ciuitate, aut Oppido, aut Diœcesi audeat prædicare sine licentia Prælatorum existentium in huiusmodi Ciuitate, aut Oppido, aut Diœcesi.

Prædicatores electi in Prælatos nullo modo per Villas, & pagos prædicare permittantur tempore Aduentus, & Quadragesimæ; neque etiam in Ciuitatibus, vel Oppidis, extra quæ illorum Monasteria erunt, ne prætextu prædicationis, absint à proprijs

Mona-

Monasterijs, in quibus de iure diuino debent residere. Si ob publicam vtilitatem Fidelium videbitur Abbati Generali, aut Visitatoribus tempore visitationum super hoc, cum aliquo dispensandum, id non fiat, nisi causa diligenter inspecta, & ex occasione prædicandi in Ecclesijs Ciuitatũ insignibus, & cum hac conditione, vt propter illius absentiam Monasterium, cui præerit, nullum detrimentum in spiritualibus, vel temporalibus patiatur.

Canonici nostri non permittantur in Quadragesima alicubi prædicare, nisi eis conueniẽter prouisum fuerit de domo, in qua toto tempore Quadragesimæ commorentur, ac etiam de expensis, ne victum ostiatim mendicare cogantur, & si de huiusmodi domo, & expensis illis conuenienter prouisum non fuerit, ad propria Monasteria redeant. Non etiam faciant collectas eleemosynarum, quæ in nonnullis locis pro Prædicatoribus fieri consueuerunt per se ipsos immediatè, siuè in Quadragesima, siuè postea quocunque tempore, ne dignitas habitus nostri vilescat, sub pœna priuationis officij prædicationis per tres annos ipso facto incurrenda. Habeant etiam nostri Prædicatores, si fieri poterit, cum actu prædicabunt, socium nostri Ordinis, vel Canonicũ, vel Conuersum, & hoc saltèm à Prædicatoribus, qui in Ciuitatibus prædicabunt seruari prorsus debebit. In ipsos autem socios tẽpore prædicationis, Prædicatores eam auctoritatem habebũt, quam in subditos habent proprij illorum Prælati.

Et quia magis exemplo, quàm verbo prædicare

debemus, si quis ex nostris talis, quod absit, esse dignoscatur, qui verbo, vel facto populis scandalo esse possit, nullo pacto licentia prædicandi illi concedatur, & si in tantum progressus fuerit malum, vt actualiter prædicando, vel eundo ad prædicationẽ, vel redeundo scandalum admiserit, officio prædicandi perpetuò priuatus existat, neque possit cum illo nisi per Generale Capitulum dispensari. Prædicatores non ante à proprijs Monasterijs discedant quam vt commodè ad loca, in quibus prædicare debebunt accedere possint, peracta verò prædicatione ad propria Monasteria statim reuertantur sub pœna contrafacientibus priuationis officij prædicationis per biennium, si qui tardiores ad propria Monasteria redierint, illorum Prælati de huiusmodi tarditate Abbatem Generalem, aut Visitatores certiores facere teneantur.

Vt autem Prædicatores, qui laudabiliter in suo munere se gerẽt, officio prædicationis liberiùs possint vacare, cum in officio prædicandi actualiter erunt occupati, à seruitio Chori, & Ecclesiæ, à communi refectione, & alijs omnibus communibus officijs, & exercitijs absoluti erunt. Cùm autem quibusdam tantùm diebus prædicabunt, ijs diebus, & nocte sequente, at etiam antecedẽte à seruitio Chori, & communi refectione absoluti erunt; cæteris diebus horis matutinis, & vespertinis, & Missæ conuentuali, & communi refectioni interesse, & suis vicibus hebdomadariam facere debebunt, & legere in mensa, cessante legitimo impedimento. Ab alijs

verò

verò communibus exercitijs exempti erunt.

Qui per quindecim integras Quadragesimas conciones habuerint in Ciuitatibus, in Ecclesijs insignioribus, & laudabiliter se gesserint, iuxta antiquam Constitutionem primum locum habeant super omnes Canonicos nostræ Congregationis, exceptis Prælatis, & eorum Vicarijs, & amplioribus priuilegijs per Capitulum Generale decorentur, prout illorum virtutis, & laudabilis vitæ merita postulare videbuntur.

De mittendis ad Sacros Ordines. Caput XV.

CLerici nostræ Congregationis vbi professionem emiserint, per proprium Prælatum si fuerit Abbas, vel alius habens vsum Pontificalium Clericali tonsura initiari debebũt, cum simus per essentiam Clerici, & iuxta sententiam Pij Quarti cum primam professionem emittimus Clericali dignitate insignitos nos esse oporteat. Exinde quatuor ordines minores, vel ab eodem Abbate, vel ab alio vsum pontificalium habente suscipere poterunt Sacerdotibus tamen proprii Monasterii saltèm pro maiori parte assentientibus.

Circa mittendos ad Sacros Ordines primò seruetur Decretum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretum, ad Subdiaconatus autem Ordinem nullus mittatur nisi per quatuor annos ex-

pletos in noſtra Congregatione profeſſus, & de licentia expreſſa Abbatis Generalis, aut Viſitatorum tempore viſitationum concedenda; qui eam concedere non poſſint, niſi is, qui ad Ordines promoueri voluerit, ab Examinatoribus deputatis priùs fuerit idoneus repertus, & ſuæ idoneitatis literas teſtimoniales illorum manu, & iuramento firmatas obtinuerit, & eiſdem Abbati Generali, aut Viſitatoribus præſentauerit:

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 37.

Nullus ad Sacros Ordines ſuſcipiēdos mitti poſſit, niſi de licentia Sacerdotum Capituli proprij Monaſterij, ſaltèm maiori parte eorundem Sacerdotum conſentiente: Qui ſine prædictis requiſitis Sacrum Ordinem ſuſceperit ab illius exercitio ſit ipſo facto ſuſpenſus, prout de iure, & grauioribus pœnis puniatur. Ad Sacerdotium nullus accedere permittatur, qui vltra prædicta requiſita per octo integros annos in noſtra Congregatione non ſteterit. Poterit tamen Abbas Generalis in aliquibus caſibus ex cauſa rationabili ſuper hoc diſpenſare.

De admittendis ad exercendam curam animarum. Caput XVI.

AD exercendam curam animarum perſonarum ſecularium in Eccleſijs noſtræ Congregationi vnitis, ac ſubiectis nullus ex noſtris conſtituatur, niſi prius ab Examinatoribus deputatis

putatis præuio examine idoneus repertus ab Abbate Generale, aut Viſitatoribus tempore viſitationũ ſpecialem licentiam ad hoc obtinuerit, & ſimiliter ab Ordinario loci examinatus, vel alio modo approbatus fuerit, cui Ordinario in ijs tantùm, quæ ad curam animarum exercendam ſpectabunt, ſubijci debebit. Si caſus contingat, ob quem ſit neceſſe aliquem ex noſtris curæ animarum exercendę in aliquo loco ſtatim aſſignare, nec poſſit ſuper hoc licẽtia Abbatis Generalis, vel Viſitatorum expectari, Prælatus Monaſterij, cui hoc incumbet, de Sacerdote idoneo prouidebit, & loci ordinario approbandum proponet, & ſic approbatum ipſi curæ exercendæ ſtatim deputabit; poſtea tamen de ea re Abbatem Generalem, vel Viſitatores certiores facere debebit.

Qui cauſa exercendi curam animarũ extra clauſtra manebunt, habeant ſocium noſtri Ordinis, ſi commodè fieri poſſit, & ſi redditus beneficiorum ad vtrũque alendum ſufficiant; iuxta diſpoſitionem Capituli, Quod Dei timorẽ. Et in omnibus Regulã, & Cõſtitutiones Ordinis obſeruent. Abſtineãt prorſus ab omni illicita negociatione, & conuerſatione, habitum profeſſionis nunquam temerè aut dimittant, aut ita occultent, quin facilè cuius ſint inſtituti valeant agnoſci. Si pedeſtres incedent, tunicam albã ſaltèm vſque ad mediã tibiã longam ſemper deferãt neque veſtibus alterius coloris, aut formæ, aut materiæ vtantur, quàm permiſſis per Ordinis Cõſtitutiones, vt dictum eſt in prima parte in Capitulo de habitu

cap. Quod Dei timorem, de sta tu Monac.

bitu Canonicorum. Ad curam animarum in locis forensibus exercendam non nisi personæ probatæ vitæ deputentur, & si contingat per ignorantiam aliter fieri, quia fortasse Prælati eorum vitam non satis exploratam habuerunt, statim à locis remoueantur.

Curent etiam diligenter Prælati, habere copiam Sacerdotum, qui in suis Ecclesiis ad audiendas confessiones secularium deputari possint; neque ipsas Ecclesias eiusmodi confessarijs destitui patiantur. Qui confessionibus secularium audiendis erunt assignandi, ætate graues, & eruditi in ijs præsertim, quæ spectant ad casus conscientiæ, & probati non solùm ab examinatoribus nostræ Congregationis, sed etiam ab ordinarijs locorum esse debebunt.

Dec.Clem. PP. VIII. de Refor. Reg.37.

Expositi ad audiendas confessiones personarum secularium habeant tabellam casuum reseruatorum ab ordinariis locorum, & Bullam in Cœna Domini publicari solitam, vt sciant quid soluere possint, & quid non possint.

De Confessarijs sanctimonialium. Caput XVII.

QVia regimen Sanctimonialium difficillimum est, & magnam tùm prudentiam tū scientiam requirit, præcipimus iuxta antiquam Ordinis Constitutionem, vt nullus sine licentia Capituli Generalis audeat curam Sanctimonia-

monialium cuiuſcunque Ordinis à quocunque ſibi oblatam, acceptare ſiuè ſubditus, ſiuè etiam Prælatus. Monialium verò noſtræ Congregationis regimini ſubiectarum confeſſiones nullus poſſit audire, niſi à toto Diffinitorio in Capitulo Generali, vel Dieta ad hoc ſpecialiter electus, & deputatus. Nullus poſſit eligi in Confeſſarium Monialium, qui annum ætatis quadrageſimum non attigerit, & ab examinatoribus deputatis per præuiũ examen idoneus repertus, literas teſtimoniales ſuæ idoneitatis, eorundem ſubſcriptione, & iuramento firmatas nõ habuerit, & Patribus Diffinitoribus præſentauerit; & non fuerit in his, quæ ad regimen Monialium ſpectant, præſertim in Decretis Pontificijs ad hoc ſpectantibus optimè inſtructus. Dec Clem. PP. VIII. de Refor. Reg 37.

Deputandi in Confeſſores extraordinarios Monialium ſint etiam ipſi, ætate graues, & periti, ac probatæ vitæ, & præuio examine, vt præmittitur idonei reperti. Neque huiuſmodi Confeſſarios extraordinarios niſi temporibus à Sacro Cõcilio Tridentino ſtatutis Prælati locorum valeant alicui Monaſterio Monialium deputare. ſeſſ. 25. de Reg. c. 10.

Electi in Confeſſarios Monialium ordinarios nõ poſſint tempore Aduentus, & Quadrageſimæ extra illarum Eccleſias prædicare; neque in eodem loco vltra triennium confirmari.

De Sacriſtis. Caput XVIII.

IN ſingulis locis, vbi commodum fuerit, præficiatur Sacriſtiæ aliquis Canonicus Sacerdos, vel ſaltèm in Sacris conſtitutus, eìque ad corporalia, & laborioſa exercitia, ſi opus ſit, aliquis Conuerſus in coadiutorem deputetur, qui in ijs, quæ ad ſeruitium Eccleſiæ, & Sacriſtiæ ſpectabunt illi ſubſit, & pareat. Qui verò Sacriſtiæ præficietur, talem ſe ipſum ſtudeat in omnibus exhibere, vt dignus iudicetur, cui cura domus Dei ſit demandata. Curet quantum poterit, vt Eccleſia, & Sacriſtia, & omnis earum ſupellex decenter, & mundiſſimè ſeruetur. Singulis ſabbathis in propria tabella adnotabit, quemadmodum in hebdomada ſequenti qualibet die, & quo ordine, Miſſæ ſint dicendæ. Det operam, vt in Eccleſijs, in quibus erit frequens populi concurſus, & copioſus numerus Sacerdotum, nunquam non dicantur Miſſæ; quod vt commodè fiat, nunquam plures Miſſæ ſimul inchoare permittet; ſed ſuis ſpatijs altera poſt alteram incipiat.

Tabellam in Sacriſtia permanentem habeat cũ Catalogo diſtincto ſingulorum Officiorum, & Miſſarum pro viuis, & defunctis, ad quæ dicenda ſingulis diebus obligamur; curetque vt tàm Officia, quàm Miſſæ ſtatutis diebus dicantur.

Teneat etiam in Sacriſtia aliam tabellam, in qua adnotatum ſit, quibus temporibus per anni circulum Canonici ad diuina Officia dicenda in Chorũ

voca-

vocari debebunt, eosque statutis horis signo dato cum Campana, semper aduocari satagct. Det operam, vt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in propria custodia decentissimè seruetur, & ante illud lampas olei purissimi semper ardeat, & saltèm quolibet die quintodecimo renouetur, & tabernaculum claui obseratum maneat. Oleum etiam Infirmorum annis singulis renouari procuret, ac decenter seruari, quod munus, vbi aderunt Parochi, ad ipsos etiã spectare debebit. Sanctorũ quoque reliquias, quæ mobiles erunt, in tabernaculis, & vasculis ad id deputatis honorificẽtissimè custodiẽdas curabit; quæ si aliquãdo gratia deuotionis ostendẽtur, sẽper duo cerei ad min⁹ ante illas accẽdi debebũt.

Altarium, & Sacerdotum ornamenta, & Sacras vestes, habita temporum, & festorum ratione mutari faciet, iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ. Pannos lineos semper mundos seruabit: vestes quoque sacras, & libros vetustate consumptos, si resarciri poterũt, statim resarcienda curabit; sin autem, Prælato id renunciabit, vt noua emantur, maximè quæ quotidianis vsibus solent deseruire.

Externos Sacerdotes ad Sacrum faciendum non sine delectu admittet, nisi priùs sciat, an legitimam licentiam celebrandi à suis Superioribus habeãt, ac etiam tonsuram clericalem decenter aptatã: Neque illos in nostris Ecclesijs sacrũ facere permittet, quos dubium sit, an in Missa dicenda ædificationi populorum sint futuri, an potiùs scandalo, vtpotè si benè legere, vel cæremonias ecclesiasticas ignorent. Mis-

ſas, quæ ſingulis diebus dicentur, & à quibus, & pro quibus, & quot quolibet die dici continget, in libro ad hoc ſpecialiter præparato adnotabit.

Habebit etiam librum, in quo diſtinctè per ſingulos dies ſcribet eleemoſynas, quas, vel pro Miſſis celebrandis, vel pro vſibus Eccleſiæ, vel alio quocũque titulo percipiet, adnotatis etiam Miſſis, vel Officijs, pro quibus dicendis ipſæ eleemoſynæ dabuntur, quæ ſtatim dicenda curabit, & cum dicta fuerint facto aliquo ſigno in eodem libro, aut in alio diſtincto ſimiliter adnotabit. Omnes quoque expenſas, quas pro vſibus Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ per eum fieri continget, in libro diſtinctè, ac fideliter deſcribet; & tàm de eleemoſynis perceptis, quàm de expenſis, vt præmittitur, factis, quas fideliter, integrè, & diſtinctè in libris adnotare debebit, ſub pœnis impoſitis aliis miniſtris fideliter non ſcribentibus introitus, & expenſas Monaſteriorum, proprio Prælato rationem reddere debebit.

Duo etiam diſtincta Inuentaria habebit, alterũ rerum pretioſarum Eccleſiæ, & Sacriſtiæ, cuiuſmodi ſunt Cruces, Candelabra, Calices, Euchariſtię Cuſtodia, Pixides, Lãpades, Paropſides, Vrcei, Pelluuia, Ampullæ, Thecæ reliquiarum Sanctarum aureæ, vel argenteæ, & alia id genus; alterum vniuerſæ ſupellectilis quotidianis vſibus deſeruientis, cuiuſmodi ſunt pallæ, ſeu pallij altarium, pluuialia, planetę, mappæ, & ſimilia, quorũ Inuentariorum copias in manibus Prælati relinquet, & cum dictis Inuentarijs omnem ſupellectilem Eccleſiæ, & Sacriſtiæ cu-

ſtodien-

ſtodiendam accipiet, & acceptam reſignabit. Et ſi quid de nouo pro vſibus Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ fieri continget, in eiſdem Inuentarijs adnotandum curabit. Demùm ad eius officium ſpectabit, vt quolibet ſero in Dormitorio lampas accendatur, & non ſolùm Eccleſia, ſed etiam Sacriſtia, & Capitulum quoties opus fuerit, euerrantur curare, necnon vaſa, & calculos ad ſecreta ſcrutinia in Capitulis facienda præparare, & ſeruare.

De Bibliothecarijs.
Caput XIX.

Bibliothecæ, quæ in quouis Monaſterio exiſtunt, diligenti cuſtodia ſeruentur, & quantum fieri poterit per Prælatos Monaſteriorũ reparentur, & pręſertim in locis ſtudiorum. In quibus autem locis Bibliothecæ, extructæ non ſunt, ſaltèm aliquis locus idoneus pro cuſtodia librorum deputetur, vbi omnes libri ſub diligenti cuſtodia ſeruentur. Cùm aliquem ex noſtris Canonicis ex hac vita decedere continget, omnes libri, qui erant illius vſibus conceſſi, ſtatim in Bibliotheca eius loci, in quo erit de familia, reponantur, & in Inuentario cum cæteris libris eiuſdem Bibliothecæ notentur; nec poſſint Prælati, aut quiuis alij huiuſmodi libros vendere, aut donare, aut alio modo diſtrahere, vel alienare: ſecùs facientes furti iudicio, & pœnis condemnentur. Si tamen multi adeſſent eiuſdem

generis libri, poterũt, & debebũt in alios alterius generis, qui in Bibliotheca non reperiũtur, cõmutare.

In quolibet Monasterio præficiatur Bibliothecæ vnus Canonicus, eiq; omnes libri per Inuentarium custodiendi tribuantur. Eius officium erit omnes libros in Bibliotheca sic disponere, vt suus cuique facultati sit locus proprio titulo inscriptus, necnon Bibliothecã clausam tenere, nec permittere, aliquẽ sine licẽtia Prælati libros ex ipsa Bibliotheca asportare. Et si concedatur alicui licentia librum aliquẽ auferendi ex ipsa Bibliotheca, eum, qui auferet propria manu in libro ad id præparato scribere faciet, quod talis, tali die, talem, aut talẽ librum ex Bibliotheca abstrahit, quem librum cum ipsi Bibliothecę reddiderit, ex eodem libro delebit.

Habebit etiam Indicem omnium librorum, qui in Bibliotheca seruabuntur, necnon Indicem librorum prohibitorum, vt scire possit, an in Bibliotheca sit aliquis liber vel prohibitus, vel suspensus, vel talis, cuius vsus communis esse non possit. Curabit denique, vt Bibliotheca munda sit, & puluis sæpiùs ex libris excutiatur, & ne humiditate, vel alio pacto lædantur.

Prælatis locorum studiorũ in Bibliothecis suorũ Monasteriorum quam maximam poterunt librorũ copiam, qui nostris studentibus vsui sit, asseruandã curabunt. Nullus verò siuè subditus, siuè Prælatus libros vnius Monasterij ad aliud transferat, aut vendat, aut alio quouis modo distrahat; qui contrafecerit furti iudicio condemnetur.

De

De Infirmarijs. Caput XX.

IN omnibus Monaſterijs, in quibus familiæ copioſæ erunt, præficiatur Infirmis curandis aliquis Sacerdos diſcretus, & patiẽs, qui cum humilitate, & charitate Infirmorum ſolicitudinem gerat, & curam cui ab ipſo Prælato deputentur coadiutores Conuerſi, vel oblati; prout ægrotantium numerus poſtulabit.

Qui Infirmariæ præficietur in primis ſtudebit, vt ea omnia; quæ circa curam ægrotantium habendam in prima parte ſtatuta ſunt, ad vnguem ſeruentur. Cùm quis in morbum inciderit, ipſe ad Medicum mittat, & Medico ægrotum viſitanti adſit; vt intelligat, quæ ab ipſo præſcribentur, & caueat ne aliquid illorum aut prætermittatur, aut mutetur, aut extra tempora ſtatuta ægrotis detur.

Curet etiam, vt quæ ægrotantibus danda erunt, & bona ſint, & benè præparata miniſtrentur; vt ægrotantium cubicula ſint munda, & ne quid deſit, quod ad illos exhilarãdos, & iuuandos conferat: Patienter ferat moleſtias, & difficultates, quas interdũ in curãdis infirmis ſuſtinere oportet, recogitãs apud ſe, quod cura Infirmorum inter pręcipua miſericordiæ opera cónumeretur, cui ſi ex charitate exerceatur ſtat præparata merces, de qua ſcriptũ eſt, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratũ vobis regnũ à conſtitutione mundi, quia infirmus fui, & viſitaſtis me. Omnia verò circa curã infirmorũ cum conſilio Matt. 25.

ſilio

ſilio Prælati, & Medici ægrotos viſitantis diſponantur.

De Oeconomis Monaſteriorum. Caput XXI.

QVia Oeconomis Monaſteriorum non ſolũ adminiſtrandorum bonorum temporalium, ſed etiam ſeruandæ, & augendæ apud perſonas ſeculares exiſtimationis Monaſteriorũ, & totius Cõgregationis onus potiſſimũ incumbit, ad eiuſmodi officia, non niſi perſonæ valdè prudentes, fideles, probatæ vitæ, & Deum timentes eligi debebunt, quare electio Oeconomorum ſingulorum Monaſteriorum noſtræ Congregationis non ad locorum Prælatos pro eorum libito ſpectabit, ſed ad totum Diffinitorium in Capitulo Generali, aut in qualibet Dieta, & illi quibuſcunque Monaſterijs in Oeconomos, erunt deputandi, quos Patres Diffinitores eiſdem Monaſterijs magis viderint expedire, attenta tamen in omnibus debita reuerentia, & obedientia, quam Oeconomi proprijs Prælatis exhibere debebunt.

Nullus eligi poſſit in Oeconomum alicuius Monaſterij, qui ſaltèm trigeſimum ætatis annum non expleuerit, & in noſtra Congregatione non vixerit ſaltèm per nouem annos integros profeſſus, ſub pęna Prælatis, qui contra hanc Conſtitutionem aliquẽ ad hoc officium conſtituerint, vacationis à Prælaturis

ris per annum, & Canonicis qui contra eandē Constitutionem fuerint in eiuſmodi officijs intruſi priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ per annum.

Ad officium Oeconomi ſpectabit, introitus, ſeù prouentus Monaſteriorum fideliter ſeruare: & administrare Prælato, Canonicis, & toti familiæ victum, veſtitum, & alia neceſſaria iuxta patris arbitrium, & Ordinis Conſtitutiones diligenter prouidere, & miniſtrare, in quibus miniſtrandis iuxta Regulam charitatis ita benignus, patiens, humilis, & liberalis eſſe debebit, vt in primis nihil neceſſarium alicui denegetur, & cum aliquid ex rebus minimè neceſſarijs negandum erit; abſque omni prorſus ſuperbia id fiat, cum manſuetudine, & religioſa modeſtia. Ad eundem œconomum pertinebit redditus, & fructus, ſeù bona quælibet Monaſterij annuatim colligere, vbi procurator ad hæc ſpecialiter deputatus ab œconomo diſtinctus non erit; Collecta ſeruare, & vendenda debito tempore vendere, & emenda emere: mercedes quoque ſtipendiarijs ſoluere, & omnium tàm exactorum, quàm exigendorum reddituum, & expenſarum exactam, & diſtinctam rationem tenere. Quapropter tres libros diſtinctos conficere debebit manu Prælati in principio anni per ſingula folia ſignatos, qui in factoria perpetuò maneant, ita vt Prælatus quotieſcunque voluerit, illos videre, & examinare poſsit; quam ob cauſam ipſe Prælatus alteram clauem factoriæ habere debebit. Horum librorum in primo; ipſe

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 12.

ipse Oeconomus per singulos dies distinctè notabit omnes, & singulos redditus, seù prouentus, quos de die in diem percipiet, & similiter expensas, quas singulis diebus faciet. Qui liber apud nos Squarciafolium, rectiùs Diurnale vocari debebit. In altero libro similiter omnes introitus Monasterij, & expensas ex primo libro extracta sub proprijs distinctis titulis adnotabit, qui liber apud nos Diurnale, rectiùs, liber Magistralis reddituum, & expensarum Monasterij vocabitur. In tertio autem libro singula credita, & debita Monasterij notabuntur; cum singulis circunstantijs personarum, temporis, causę, & quantitatis ipsorum creditorum, & debitorum, qui propterea liber creditorum, & debitorum vocandus erit.

Porrò in eisdem libris omnes, & singulos redditus, & prouentus sui Monasterij, loci, & officij, & similiter omnes, & singulos exitus, & expensas distinctè, & sub proprijs titulis integrè, fideliter, & veraciter nec plus, nec minus adnotabit, & hoc sub pœnis contentis in Decreto super hoc facto à Reu. DD. Conrado Tartarino Episcopo Forol. Auth. Apost. Præsid. in Cap. Gen. celebrato Rauennæ anno Domini 1600. tenoris sequentis.

Dec. Reuerendiss. Episc. Conr. Tart. Præs. Apost. ann. 1600.

Quilibet Prælatus, et administrator, tàm vrbanus, quàm forensis debeat veraciter, et fideliter scribere, et adnotare redditus, et prouentus sui Monasterijs loci, et Officij, et pariter exitus, et expensas, nec plus, nec minus, quàm veritas postulet, sub pœna excommunicationis, cuius absolutionem ipsimèt

Re-

Reuerendissimo Generali reseruemus, necnon cótrauenientes voce actiua, & passiua, & officio priuati existant ipso facto: Et si Conuersi, vel Oblati fuerint, vltra excommunicationem, & priuationem officij, carcere plectantur. Magistri computorum, & eorũ Reuisores si in reuisione repererint dictos Prælatos, & Administratores fideliter non adnotasse redditus & prouentus, exitus & expensas, teneãtur, & obligati sint sub ijsdem pœnis eisdem inuiolabiliter infligendis id notificare Commissario, seù Visitatori eiusdem Prouinciæ, & sub eisdem pœnis teneantur Computistæ Monasteriorum, & Locorũ facere, & calculare, & superfluas expensas, ac contra has Constitutiones, seù Decreta aliàs emanata, & facta, adnotare, & eas denunciare Commissario, seù Visitatori Prouinciali, vt supra.

Oeconomi nihil largiantur, vendant, emant, neque pecunias mutuo dent, vel accipiant, neque aliquid agãt sine consilio, & licentia suorum Prælatorum, quibus in omnibus reuerentiam, & obedientiam præstare debebunt. Cæteri verò ministri, qui cellæ vinariæ, coquinæ, pistrino, vestiario, & alijs officinis deputabuntur, ipsis Oeconomis obedire, & rationem reddere debebunt. Ipsi autem Oeconomi saltèm semel in mense coram proprijs Prælatis, & duobus Canonicis cuiuslibet Monasterij senioribus, & rerum vsu peritioribus ad computa Monasteriorum specialiter examinãda deputatis, & electis, suæ administrationis tã quoad redditus perceptos, quã quoad expensas factas reddere teneãtur; Prælati ve-

rò quolibet mẽſe, rationem huiuſmodi adminiſtrationis coram dictorum computorum examinatoribus,& reuiſoribus ſibi ab Oeconomis reddi facere, ſub pœna faciendi diſciplinam in Refectorio tempore viſitationum.

De Oeconomis forenſibus. Caput XXII.

ADminiſtratores bonorum Monaſteriorum extra Clauſtra in villis degẽtes, libros diurnales, & Magiſtrales ipſi quoque conficere teneantur, in quibus omnes,& ſingulos redditus,& prouentus,necnon etiam exitus, & expenſas ſuæ ipſorum adminiſtrationis veraciter, diſtinctè, & fideliter ſcribere debebunt,& omnia ſub proprijs titulis, ſub pœnis impoſitis miniſtris veraciter, & fideliter non ſcribentibus redditus, & expenſas propriæ illorum adminiſtrationis, de quibus dictum eſt in Capitulo præcedenti. Eiuſmodi autem libros in fine cuiuſlibet anni proprijs Prælatis deferent, ab illis, & computorum Reuiſoribus examinandos & ſubſcribendos,& ſæpiùs etiam id facient, ſi Prælatis ita videbitur expedire, qui libri poſtea in factoria Monaſterij ſeruari debebunt.

Ipſi autem Adminiſtratores extra Clauſtra degentes Regulam,& Ordinis Conſtitutiones,præſertim quoad habitum, & cõuerſationem omninò ſeruent;ſemper tunicam albam ſaltèm vſque ad mediã

tibiam

tibiam longam deferant, &, si fieri possit, cum socio proprij Ordinis maneant; Ancillas verò nullo pacto domi teneant, sed famulis secularibus vtantur. Illicitas Clerici negociationes penitùs nõ exerceant, & nihil omnino nomine proprio, sed tantũ suorum Monasteriorum pertractabunt; non Societates cum Laicis contrahẽt, siuè de animalibus, siuè de alijs rebus; non fient Procuratores personarum secularium, neque illarum ministri, neque illarum prædia, aut etiam Regularium alterius Ordinis proprio nomine conducent; non vacabunt venationibus, nec arma deferent; non ludent cum personis secularibus, neque spectatores ludorum præsertim illicitorum erunt; sub pœnis per Sacros Canones, & Ordinis Constitutiones trãsgressoribus inflictis. Demùm ab omni illicita conuersatione ita abstinebunt, vt populis non solùm scandalo non sint; sed illos potiùs valeant ædificare. Qui tales non erunt, statim ab administratione remoueantur, & Prælati circa hoc maximè inuigilare teneantur.

De Ratiocinatoribus, siuè Reuisoribus computorum. Caput XXIII.

IN quolibet Monasterio per Diffinitorium duo saltèm ex nostris Canonicis probatæ vitæ, rerũ vsu periti, & in computis faciendis experti deputari debebũt, ad computa ipsius Monasterij exa- Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 13.

 minan-

minanda. Hi ſaltèm quolibet menſe coram Prælato, & Oeconomo libros rationum, & computorum, & ſingulos introitus, & etiam expenſas factas diligenter examinabunt; & omnes alij bonorum temporalium Administratores coram Prælato, et ipſis ratiocinatoribus propriæ administrationis rationẽ reddere, et libros propriæ administrationis ipſis examinandos exhibere debebunt. Ad ipſos ratiocinatores ſpectabit, non ſolùm libros administratorũ bonorum temporalium diligẽter examinare, et obſeruare, an omnes redditus, et expenſæ ab illis factæ integrè, et veraciter ſub proprijs titulis distinctis ſint adnotatæ; ſed etiam animaduertere, an ijdem administratores ſuperfluos aliquos ſumptus fecerint, vel per Ordinis Constitutiones interdictos; an pecunias mutuo acceperint, vel debita contraxerint; quæ ſi repererint, ſciant ſe ad illa quamprimùm Abbati Generali, aut Viſitatoribus, ſiuè Commiſſarijs Prouinciæ notificanda obligari ſub pœna priuationis, et inhabilitatis ad omnes gradus, dignitates, et officia obtinenda ad arbitrium Diffinitorij, et ſub alijs pœnis contentis in Decreto Reu. DD. Epiſcopi Conradi Tartarini ſuperiùs in Cap. 21. huius ſecundæ partis adnotato.

Dec. Reu. DD. Epiſc. Conr. Tart. Præſ Apoſ. ann. 1600.

Ad ipſos etiam ſpectabit in fine cuiuſlibet anni omnes libros administratorum bonorum temporalium videre, ſummas cõputorum, vulgò Capſas nũcupatas, examinare, et cum ipſis libris conferre, et ſi cum Diurnalibus, et libris magistralibus rationum cõcordare inuenerint, propria manu ſubſcribere, vt

ad

ad Dietam, vel Generale Capitulum transmitti possint; libros etiam computorum eorumdem administratorum si fideliter scriptos inuenerint, subscribere debebunt, qui in factoria, & alijs eorumdem administratorum officinis perpetuò manebunt. Inspicient etiam an in fine cuiuslibet anni deposita realiter à Prælatis facta fuerint in pecunia numerata & in debita quantitate boni põderis, & valoris realiter in manibus Depositarij resignata, & relicta; ac etiã omnia alia, quæ à Prælato in fine cuiusque anni erunt relinquenda, & in annũ sequentẽ seruanda, vt sunt frumentum, vinum, oleum, sal, caseum, & similia diligenter inspicient; & animaduertent illarum mensuram, qualitatem, & quantitatem, an verè, & realiter à Prælato res eiusmodi in Monasterio relinquantur in subsidium anni sequentis, an verò fictè, & solùm secundùm apparentiam. Inquirent etiam an mercatores, apothecarij, ac cæteri, qui suas merces, vel operas Monasterijs vendere solent, & salaria percipere, in fine anni integra pretia, salaria, & mercedes suarum mercium, & operarum acceperint, de quibus omnibus, Patres Diffinitores tempore Generalis Capituli, vel Dietæ certiores facere debebunt.

11 Si videbitur Abbati Generali, aut Visitatoribus, vel Commissarijs Prouinciarum ita expedire, poterunt ijdem ratiocinatores, vel aliquis illorum in aliquibus Monasterijs tempore messis, aut vindemiæ, ad villas exire, & informationes capere super veris quantitatibus frumenti, vini, & aliorum bladorum,

& fru-

& fructuum collectorum, etiam cum delatione iuramenti ipsis Administratoribus forensibus, & alia oportuna facere, & omnia in scriptis redigere, vt de vera, legitima, & integra quantitate reddituum Monasteriorum valeat constare.

De Monasteriorum Depositarijs, & depositis faciendis. Caput XXIV.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 12.

IN quolibet Monasterio erit vnus Depositarius, vel à Capitulo Monasterij electus, vel ab Abbate Generali deputatus, apud quem omnes pecuniæ Monasterij quocunque titulo in manus eius peruenientes, seruari debebunt in communi Capsa duabus seris, & clauibus diuersis obserata, quarum clauium alteram Prælatus loci, alteram Depositarius tenebit: Capsa verò in cubiculo ipsius Prælati semper manebit. Depositarius peculiarem librum habeat, in quo summam omnium pecuniarum, quas custodiendas recipiet, adnotari curabit, scribendo quo die, & à quibus ipsas pecunias receperit, vt similiter omnes pecunias, quas Oeconomo, aut cuilibet de mandato Prælati per singulos dies expendendas tradet, eodem modo in eodem libro adnotari curabit. Non tamen deposita per quamcunque personam recipiet, nisi cum scientia, & licētia proprij Prælati, & vt fideliùs omnes pecuniæ tàm à Depositario receptæ, quàm ab illo cuiuis traditæ in

dicto libro adnotentur, in altera pagina ipſius libri videlicet ſiniſtra notabuntur pecuniæ, quas Depoſitarius per ſingulos dies recipiet; in altera verò pagina è regione à dextris oppoſita, notabuntur ſimiliter omnes pecuniæ, quas Depoſitarius per ſingulos dies alijs expendendas tradet. Singuli verò tàm deponentes ipſas pecunias, quàm recipientes priùs quam illas deponant, ſcribant in eodem libro in ſuis locis propria manu eam quantitatem pecuniæ, quã deponent, vel recipient, adnotando etiam perſonã, & diem: ita vt liber ipſe non manu Depoſitarij, ſed deponentium, vel recipiẽtium pecunias ſit ſcriptus. Et ſi Deponentes, vel Recipientes pecunias ſint Cõuerſi, vel Oblati, qui ſcribere neſciant, alios pro ſe ſcribere faciant. Huiuſmodi autem liber ſemper in Capſa cum ipſis pecunijs depoſitis ſeruari debebit.

Depoſita quæcunque ſiuè annatarum, ſiuè quindenniorum, ſiuè ex bonis immobilibus venditis, ſiuè aliàs quouis modo facta Prælati: omnes antequã è Monaſterijs diſcedant, vel Prælaturis renuntient, realiter, & integraliter in pecunia numerata boni põderis, & valoris apud Depoſitarios reſignare, & illi s modo, & forma ſupradictis tradere teneantur, quæ Prælati ſubſequentes inueniant in aliquos vſus Monaſterij minimè conſumpta, & ea etiam, quæ ipſi Prælati ex redditibus propriç adminiſtrationis ſimiliter deponere debebunt, præter inuenta apud Depoſitarios, & hoc ſub pœna vacationis à Prælaturis. Nullus Prælatus ſubſidia pecuniarum, vulgò ſcortæ Monaſteriorum appellata, à ſuis Prædeceſſoribus

ribus

ribus relicta, possit in toto, vel in parte alienare, cõsumere, vel diminuere, sed huiusmodi subsidia, & scortas teneatur Prælato, qui illi in regimine succedet, integra relinquere, vel consumpta reintegrare in pecunia boni ponderis, & valoris, vel saltèm in rebus vendibilibus, vel creditis realibus, & exigibilibus, per ratiocinatores Monasterij recognitis, & probatis, sub pœna vacationis à Prælatura, & perpetuæ inhabilitatis ad omnes dignitates, officia, & gradus in Congregatione obtinenda.

Prælati omnes curent habere formã faciendi depositum quindenniorum pro rata quolibet anno illos tangente, & iuxta eamdem formam ipsum depositum integrare, si diminutum fuerit; & ipsum depositum quindenniale, faciant in pecunia boni ponderis, & valoris sub pœna suspensionis à Prælaturis per annum; formam autem faciendi eiusmodi depositum in factoria in loco conspicuo affigant, et ibi semper maneat, vt facilè videri possit.

Depositarij realiter deposita non resignantes, careant voce actiua, et passiua per annum, et grauiùs iuxta delicti qualitatem à Patribus Diffinitoribus puniantur.

De Procuratoribus Monasteriorum. Caput XXV.

PRocuratores tales esse debebunt, qui non solùm iura Monasteriorum tueri possint, sed etiam

etiam omnes, cum quibus tractare oportebit verbo, & exemplo ædificare. Si procurator Monasterij ab Oeconomo distinctus erit, à loci Prælato, & Capitulo eligi poterit; si verò propter paucitatem Canonicorum idem fuerit Oeconomus, & procurator in Capitulo Generali; vel Dieta per Diffinitorium eligi debebit. Eligendus in procuratorem saltèm trigesimum ætatis annum; & decimum in nostra Congregatione attigisse debebit, aliàs erit ineligibilis, sicut de Oeconomo supra dictum est.

Præcipuum officium Procuratoris erit, creditorum exigendorum, iurium, & bonorum immobilium Monasterij curam gerere; agros, villas, prata, siluas, aquas, molendina, domos, & omnem Monasterij possessionem, & omnia iura distinctè scire, visitare, defendere, ac seruare; Quæ omnia in proprijs libris distinctè adnotata habere debebit, cum proprijs circumstantijs, quantitatis, & qualitatis dictorum bonorum, & quo iure à Monasterio teneantur, & possideantur. Ad ipsum etiam spectabit scire conductores bonorum Monasterij, colonos, emphyteutas, censum, siue liuellum annuũ soluentes, inquilinos, quinam sint, quæ bona Monasterij teneant, quo tempore, quo titulo, cuius quantitatis, & qualitatis; & quo tempore solutiones Monasterio fieri debebunt.

Et nè iura Monasterij, census, credita, locationes, & similia obliuioni tradantur, ea omnia vel in eodem libro, vel in duobus distinctis, altero censuũ, & liuellorum, altero locationum clarè, distinctè, &

per ordinem adnotari curabit. Instrumenta verò originalia, nec non titulos, quibus constat de iure eorum, quæ à Monasterio possidentur, suis locis re-posita in Archiuo monasterij diligenter seruanda curabit; quæ omnia in forma authentica publici Notarij manu subscripta, vel in libro particulari registrata, vel saltèm distinctè in suis locis collocata seruari debebunt. Curabit etiam librum confici, in quo summa eorumdem instrumentorum, & titulorum, & omnium scripturarum, quæ in Archiuo seruabuntur per ordinem Alphabeti, aut alium ordinem disposita, contineatur, vt facilè ipsæ scripturæ, cum opus fuerit, valeant reperiri.

Si contractus magni momenti præsertim rerum perpetuarum fient, eorum authentica exempla statim conficienda, & ad publica Congregationis Archiua, sicut dicetur in Capitulo de publicis Archiuis, transmittenda curabit. Cum autem aliquas scripturas ex Archiuo monasterij accipiet, earum memoriam in libello in Archiuo semper manēte, statim adnotabit, scripto die, mense, anno, & ijs, quibus ipsæ scripturæ tradentur, quas scripturas cū receperit, & suis in locis reposuerit, memoriam ex libro delebit.

Cauebit omninò, nè aliquid, quoad locationes, contractus, debita contrahenda, nouas lites inchoādas, & alia huiusmodi negotia faciat absque scientia, & voluntate Prælati, & etiam Capituli monasterij, si res tractanda id postulabit: nouas verò lites de rebus grauioribus, præsertim quæ publicum in-

teresse

teresse Congregationis tangent, absque expressa scientia, & consensu Abbatis Generalis minimè inchoabit, nisi in re necessaria, in qua illius responsum nequeat expectari; de qua re nihilominus ipsũ Abbatem Generalem postea certiorem facere debebit.

Quando lites, & causæ terminãdæ erunt, curabit, vt rectè, & solidè fiant expeditiones, & vt tales fiant, Iurisperitos super rebus agendis diligenter consulere debebit. Nullius personæ extraneæ præsertim secularis procurationem accipiet, nisi fortasse ob piam causam (quod Sacri Canones nobis permittunt, absque tamen alicuius mercedis interuentu) idque de consilio, & licentia Prælati fieri debebit. c. obseruandum. 15. q. 2 Demùm ipse Procurator omnes sui officij prouentus, & expensas in libro particulari fideliter, & distinctè adnotare debebit, & coram Prælato, ac Reuisoribus computorum propriæ administrationis rationem reddere, sub pœnis impositis administratoribus fideliter non scribentibus redditus, & expensas propriæ administrationis, de quibus dictum est in Capitulo de Oeconomis.

De Archiuis, & registris scripturarum. Caput XXVI.

VT bona, & Iura monasteriorum illæsa seruentur, sit in quolibet monasterio locus aptus, & tutus ab omni periculo incendij,

vel humiditatis, vel rapinæ, in quo scripturæ Monasterij, originalia instrumenta, priuilegia, iura, & tituli, quibus constat de iure omnium eorum, quæ per Monasterium possidentur, diligētissimè custodiantur, quod Archiuum duabus clauibus sit obseratum, quarum altera apud Prælatum, altera apud Procuratorem maneat.

Instrumenta, & aliæ scripturæ, quibus constat de iure eorum, quæ à Monasterio possidentur, manu alicuius Notarij publici sint subscripta, & similiter exempla omnium contractuum alicuius momenti, præsertim rerum perpetuarum, quos in dies fieri continget, quæ omnia in Archiuo suis quæque locis distincta reponenda erunt. Vt autem facilè omnes scripturæ, quæ erunt in Archiuo, possint reperiri, conficiatur illarum inuentarium per ordinem Alphabeti dispositum; & iuxta eundem ordinem inuentarii ipsæ scripturæ in Archiuo in locis distinctis reponantur. Sit etiam in Archiuo liber, in quo adnotentur scripturæ, quas Procurator, vel quilibet alius ex eodem Archiuo auferet, adnotato die, mense, & anno, & iis, quibus ipsæ scripturæ tradentur, quas cum restitui continget, ex eodem libro delebuntur.

Et nè deinceps authentica exemplaria scripturarum, quæ totius Cogregationis, aut alicuius particularis Monasterii, iura, priuilegia, fundationes, dotationes, bonorum acquisitiones, & contractus magni momenti, & rerum perpetuarum continēt, casu aliquo incendii, hostilis incursionis, & direptionis,

aut

aut alio ſimili amittantur, præcipitur omnibus, & ſingulis Prælatis Monaſteriorum, vt quamprimùm exempla huiuſmodi ſcripturarũ ſaltèm ad propria Monaſteria ſpectantium fieri procurent in forma authentica, ita vt in iudicio eis plena fides valeat adhiberi; quæ ad publicum Archiuum per Generale Capitulum deputandum tranſmittenda erunt.

Archiuum Romanum quamprimùm diligenter reformandum erit, & omnium ſcripturarum publicarum, priuilegiorum, indultorum, Breuium Apoſtolicorum, Bullarum, & aliarum omnium, quæ publicum intereſſe Congregationis tangunt, vel originalia, vel ſaltèm authẽtica exempla in ipſo reponenda erunt, per ordinem cum inuentario diſpoſita, ita vt Procurator Generalis, cum opus fuerit, illa præ manibus habere poſsit. Omnium etiã Bullarum, Breuium, Reſcriptorum, & Decretorum Apoſtolicorum, vel alicuius Congregationis Illuſtriſsimorum DD. Cardinalium intereſſe Congregationis tangentium, quæ deinceps emanabunt, Abbates, Procuratores, ſeu Vicarij Generales prò tempore exiſtentes, vel originalia, vel ſaltèm exempla authentica in eodem Archiuo Romano, relinquere teneantur.

De Inuentarijs. Caput XXVII.

QVilibet Prælatus tria inuentariã bonorum ſui Monaſterij, vbi confecta non erunt, ſtatim conficienda curabit; in quorũ primo bo-

mo bona omnia immobilia monasterij, Iura, Census, liuellariæ pensiones, agri, vineæ, nemora, prata, flumina, stagna, molẽdina, ędificia, domus, & similia sub proprijs, & distinctis nominibus, quibus appellari consueuerunt distinctè notabuntur, scribendo territoria, in quibus illa existent, illorum cohærentias, quantitates, & qualitates, quo Iure, & à quibus Monasterium illa obtineat; vbi sint Instrumenta, per quæ de legitima illorum possessione, & acquisitione doceri posit, & etiam Colonos, seu affictuarios, emphyteutas, et liuellarios, qui eiusmodi bona successiuè tenebunt. Hoc autem Inuentarium in Archiuo Monasterij, vel apud Procuratorem manebit.

In altero Inuentario describentur omnia bona mobilia monasterij, et tota illius supellex, quod quidem Inuentarium generale ex particularibus Inuentarijs Sacristiæ, Dormitorij, & aliarum officinarum monasterij conficiendum erit, distinctè tamen, ita vt sub suis titulis distinctis ponantur spectantia ad Sacristiam, Dormitorium, & ad alias officinas: hoc autem Inuentarium apud Prælatum, vel eo absente apud Vicarium manebit. Porrò ipsa Sacristia, Dormitorium, Factoria, Coquina, Refectorium, Vestiarium, Hospitia, & cæteræ monasterij officinæ sua quæque Inuentaria distincta habebunt, itaut cum quis ab officio remouendus erit, & alius loco eius subrogandus, per Inuentarium fiat resignatio totius supellectilis officinæ, cui præficietur.

In

In tertio Inuentario notabuntur omnia bona mobilia monasterij existentia in domibus ruralibus, scribendo distinctè quid in vnaquaque domo reperiatur, tàm de spectantibus ad vsualem supellectilem Canonicorum, & Conuersorum, quàm dè spectantibus ad seruitia Agriculturæ, horreorum, & cellarum vinariarum. In eodem libro notabuntur omnia bona Monasterij semouentia, vt sunt Equi, Boues, Pecudes, Bubali, Sues, Capræ, & spectantia ad illa, vt sunt supellectiles equitiorum, currus, & plaustra, & similia; quod Inuentarium apud Oeconomum, vel Procuratorem manere debebit.

Præter hæc fiat quolibet anno Inuentarium peculiare, in quo adnotetur tota supellex, quæ vnicuique Canonico, siuè Conuerso pro illius vsu tribuetur, vt si contingat aliquem aliò mitti, supradicta supellex cum Inuētario ab illo resignetur. Optimum etiam erit, libellum in Camera Oeconomi, vel saltèm Ianitoris semper teneri, in quo ea per singulos dies notentur, quæ nos alijs commodabimus, vel illis nobis commodabunt, nè ex obliuione perdantur.

De Ianitoribus Monasteriorum. Caput XXVIII.

QVia non est dubium, Ianitorem vniuersam domum repræsentare; ideo Prælati nullū Ianuæ custodiendæ præficere debebunt, quem

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg 18.

quem probabiliter talem futurum non existiment, qui non solùm ianuam valeat, custodire, sed etiam laicos, & quascunque personas ad nostra Monasteria accedentes, verbo, & exemplo sit ædificaturus. Qui Ianuæ custodiendæ fuerit deputatus, eam semper clausam teneat, eique iugiter assistat; neque aliquem ex nostris exire permittat, nisi prius à Superiore licentia obtenta. Cum Canonici erunt, in Choro, vel communi refectioni, Capitulo, lectionibus, repetitionibus, in oratione mentali, occupari, & similibus, nihil cuiquam nuntiabit, neque vllum inde auocabit, nisi ob causam necessariam, vel ob conditionem personæ requirentis; idque de licentia Prælati, vel Vicarij. Neque eo tempore, vel etiam tempore silentij aliquem extraneum per monasterium vagari patietur. Portas Monasterij ante noctem semper claudet, & post datum signum angelicæ salutationis nulli sine licentia Prælati eas aperiet. Quolibet sero claues Monasterij Prælato deferet, & si qui de familia foris manserint, renuntiabit.

Cum tintinabulum pulsabitur ad ianuam festinabit, ne pulsantes diutius faciat expectare; & si fieri poterit ianua non aperta, per fenestrellam expediet. Si quis externus aliquem ex nostris alloqui velit, illum in loco propè ianuam ad hoc deputato sisti faciet, aut saltèm in Claustro ipsi ianuæ, propinquiore, donec illum, qui quæretur, vocet; nullum verò in Dormitorium adducet, ac etiam in Claustrum interius, & alia omnia tradita in prima parte

in

in Capitulo de Ianuæ custodia, diligenter obseruabit.

Cum Hospites aduenerint, aut Medici ad ægrotos visitandos, signo facto cum campanula præfectos hospitiorum, & infirmarios statim aduocabit, vt ad illos recipiendos, & associandos oportunè adsint. Pauperibus eleemosynam petentibus benignè respondere studebit; & quæret quid de Patris licentia illis valeat distribuere: in eleemosynarum distributione regulam charitatis sequetur, neque humano affectu ad tribuendum potius vni, quàm alteri seipsum duci sinet. Ab externis nihil in Monasterio custodiendum recipiet, sine patris licentia, neque bona Monasterij foras portari vllo modo permittet; Mulieres ad ianuam accedentes paucis expediet, ac dimittet; neque ibi aliquem ex nostris cum illis collocutiones habere patietur.

De Fabricis construendis, vel reparandis. Caput XXIX.

NVllus siuè Prælatus, siuè Oeconomus, vel administrator forensis, de redditibus Monasterij aliquid expendere possit in fabricis construendis absque licentia Abbatis Generalis in scriptis obtenta, & Monasterij Capituli consensu: exceptis tamen reparationibus necessarijs, in quibus mora dari non potest. Qui contrafecerit, omni Prælatura, regimine, & officio priuatus existat, & nullo modo dispensetur cum eo.

In nouis fabricis exercendis non inſcribantur nomina, neque ponantur ſtemmata eorum, qui ipſas fabricas extruxerint; niſi ſint benefactores Monaſteriorum non exiſtentes de gremio Congregationis, qui ſuis expenſis ipſas fabricas extruxerint. Nullus etiam Prælatus fabricas à ſuis prædeceſſoribus extructas audeat demoliri ſine expreſſo conſenſu Abbatis Generalis, & Capituli ſui Monaſterij.

Fabricas collabentes, vel ruinam minantes Prælati, & cæteri Adminiſtratores ſtatim ſtudeant reparare, & ſimiliter fluminum irruptiones; re tamẽ cum proprijs Capitulis prius communicata. Si quis ob auaritiam, vel culpabilem negligentiam huiuſmodi reparationes neceſſarias non fecerit, & graue aliquod damnum ex tali omiſsione Monaſterijs euenerit, ſuſpendatur à Prælatura, & alijs officijs per annum, & iuxta damni grauitatem, & illius culpam grauiùs puniatur.

De Monaſterijs acceptandis, vel dimittendis. Caput XXX.

NVllus Prælatus, ſed nec etiam Abbas Generalis ſine ſpeciali licentia, & mandato Capituli Generalis, poſsit aliquod Monaſterium noſtræ Congregationi oblatum acceptare, ſiuè iam extructum, ſiuè de nouo extruendum: Si aliquod Monaſterium titulo Abbatiali decoratum de nouo acceptari contingat, ſub titulo Abbatiæ recipia-

cipiatur, ſicut in literis Sixti Papæ Quarti iubetur. 1480. die 30. Maij.
Si recipiatur aliquod Monaſterium, id conſultiſsimè fiat, & cum tali, at tanta præparatione, vt regularis diſciplina ibi retineri valeat.

Nullus abſque licētia Abbatis Generalis aliquod beneficium cum cura, vel ſine cura alicui Monaſterio noſtræ Cōgregationis valeat vnire. Nullus Prælatus, nec etiam Abbas Generalis, aut alius quicunque de noſtra Congregatione aliquod Monaſteriū, membrum Monaſterij, vel beneficium alicui Monaſterio quouis modo vnitum poſsit à Congregatione ſeparare, aut renuntiare, aut alio modo alienare, aut ab vno Monaſterio ſeparare, & alteri Monaſterio noſtræ Congregationis vnire ſine Capituli Generalis diffinitione certiſsima.

De modo congregandi Capitulum ad grauia negotia Monaſteriorum tractanda. Caput XXXI.

QVia grauia negocia Monaſteriorum non debent à Prælatis ſine conſenſu ſuorum Capitulorum iuxta Canonicas ſanctiones definiri, præcipimus, vt nullus huiuſmodi negocia ſui Monaſterij qualia ſunt bonorum immobilium, alienationes, permutationes, locationes, grauium litium conteſtationes, & bonorum etiam mobilium magni valoris diſtractiones, & alia, quæ per Ordinis Conſtitutiones prohibentur, audeat ſi- c. Quando. De ijs, quę fiunt à Pręlat. ſine cōſenſu Cap.

ne consensu proprij Capituli definire, etiamsi in principio anni generale mandatum procurationis ab ipso Capitulo receperit.

Cum ad negotia tractanda Capitulum congregari debebit, cum sono campanulæ secundùm antiquam consuetudinem nostræ Congregationis id fiat. Vt autem quisque scire posit quando Capitulum ad negocia tractanda conuocabitur, & quando ob alias causas: cum pro negocijs tractandis Capitulum congregandum erit, sacrista in principio, & fine pulsationis campanulæ aliquot ictibus campanulam ipsam, vnum tantum eius latus tangendo, pulsabit, & hoc signo monstrabitur, eos solos vocari, qui in Capitulo votum consueuerunt. Quilibet Canonicus in sacris constitutus, nec voce actiua, & pasiua priuatus, in eo Capitulo vocem habebit, cuius Monasterio erit per Superiores legitimè deputatus, etiamsi alibi professionem emiserit. Clerici verò nondum in sacris constituti, & Conuersi quamuis ad Capitulum vocari posint, votum tamen, seu suffragium in eodem Capitulo non habebunt. Nullus ad Capitulum vocatus, accedere recuset, cessante legitimo impedimento, de quo, si occurrat, ipsum Capitulum certius facere debebit. Nullus etiam Prælatus aliquem, qui in Capitulo votum habeat ex industria vocare omittat, aut in id tempus differat ipsum Capitulum congregare quãdo quis à Monasterio absens fuerit, itaut Capitulo adesse non posit; alioquin vnus solus malitiosè omissus, & contemptus, acta totius Capituli iuxta Cano-

conc. Trid. sess. 22. de refor. c. 4.

cap. Bonæ mem. de Electio.

Canonicas sanctiones vitiare poterit.

Vt quisque valeat circa res sibi propositas liberè secundùm Deum absque vllo metu, vel humano respectu in Capitulo votum suum ferre, præcipimus, vt posteaquam de re proposita habita fuerit in Capitulo conueniens tractatio, semper fiat secretum scrutinium votorum in hunc modum. Datis vnicuique Canonico calculis, seu signis albis, & nigris siuè fabarum, siuè alterius materiæ, quorum signorum album dabitur pro parte affirmatiua, nigrum verò pro parte negatiua, minor de gremio Capituli, cum vasculo per Sacristam adhoc præparato colliget à singulis Canonicis proprium votũ, & signũ, quod quilibet per se ponet in vasculo secretè itaut à nemine videatur: collectis autẽ omnibus votis, aperto vase coram Prælato, & tribus senioribus de gremio Capituli, numerabuntur signa tàm alba, quàm nigra; & si plura fuerint signa alba, quàm nigra, intelligatur cõsensus affirmatiuus, circa rem propositã ab ipso Capitulo præstitus; si verò plura fuerint signa nigra, quã alba, aut si fuerint paria, intelligatur eiusmodi cõsensus circa rem propositam negatus, exceptis casibus, in quibus ad validitatẽ alicuius actus, vel cõtractus requiritur, vt duæ partes ex tribus totius Capituli consentiant, excepto etiam cum de electione tractabitur, quia tũc forma constitutionis Sanctissimi D.N. Pauli V. nuper editæ, & etiam nostrarum Constitutionum seruari debebit, sicut in Ann. 1615. tertia parte dicetur. Hic autem modus deliberandi, & definiendi de quibuscũque rebus in quouis Capitulo

tulo propoſitis, ita neceſſario ſeruandus erit,vt nullus actus, ſiuè contractus ad cuius validitatem Capituli conſenſus erit neceſſarius, inpoſterum pro valido haberi poſsit, niſi præſtito conſenſu ab ipſo Capitulo per vota ſecreta iuxta modum prędictum; Et ne quis plura conferat ſuffragia, vel alio modo fraudes in ſcrutinijs faciendis contingant, numerentur prius Canonici, deinde numerentur ſuffragia,& ſi minor fuerit numerus ſuffragiorum,quàm perſonarum votantium,& actus aliàs ſit legitimus, ex hoc etiam capite vitiari non debebit; quia quilibet poteſt iuri ſuo renuntiare. Si autem maior ſit numerus ſuffragiorum collatorum,quàm perſonarum, & nihilominus vltrà illum numerum,vel duę partes Capituli conueniant, vel ſaltèm maior pars
c. Vtile de reg.iu.in 6 in caſibus,in quibus conſenſus maioris partis Capituli ſufficiet, etiam tunc actus erit validus;quia vtile per inutile vitiari non debet, ſi autem propter vota excedentia numerum perſonarum votãtium, incertum ſit in quam partem maior pars Capituli conſentiat; actus erit nullus, & ſcrutinium de nouo fieri debebit: Si quis verò in duobus Monaſterijs, & Capitulis ſimul erit deputatus, & regiſtratus in neutro Capitulo vocem habere poterit.

In grauioribus negocijs terminandis cuiuſmodi ſunt alienationes bonorum immobilium, aut venditiones, aut conceſsiones bonorum in emphyteuſim tres tractatus diſtincti habeantur, inter quos ſaltèm duo dies ſingulis vicibus excurrant.De tractatibus verò in Capitulo habitis nullus extra

Capi-

Capitulum loquatur, præsertim ex quorum reuelatione quies, & pax fraterna turbari, vel scandalum generari posit, & hoc sub pœna priuationis vocis actiuæ, & pasiuæ per annum ipso facto, & sine aliqua declaratione incurrendæ. Eligatur etiam à quolibet Capitulo vnus Canonicus, qui omnes actus ipsius Capituli in libro perpetuò in Monasterio seruando diligenter scribat, nè obliuioni illos tradi contingat.

De excesibus corrigendis, & facultate per Sedem Apostolicam Congregationi ad hæc specialiter attributa. Caput XXXII.

QVamuis pręcipua cura eorum, qui alijs pręsunt, eò sit dirigenda, vt magis amore Dei ac desiderio ęternę salutis, quã timore pęnarũ regularis disciplina custodiatur, & ipsi Prælati magis amari, quàm timeri appetere debeant, quẽadmodum in regula cauetur; tamen ne prætextu clementiæ, & pietatis delicta maneant impunita, & quos Dei amor, & propriæ salutis desiderium ab excesibus non continet, saltèm imminentis pœnæ timor refrœnet, studebunt locorum Prælati, & imprimis Patres visitatores, & Abbates Generales, qui totius Congregationis vniuersalem curam gerunt, nè subditorum culpæ inultæ remaneant; sed vnicuique iuxta eius qualitatẽ, & grauitatem cum miseri-

ſericordia, & iuſtitia conueniens adhibeatur medicina, ſecundùm facultatem per Martinum Papam Quintum, & Pium Quartum ad hæc ſpecialiter nobis conceſſam, prout in ſequentibus priuilegijs per hæc verba formalia continetur.

Priuilegium Martini Papæ Quinti incipiens. Solicitudinis paſtoralis officium, quod ſuper omnes orbis Eccleſias. Et infrà. Vniuerſos quoque Cõgregationis Religionis eiuſdem Prælatos, Priores, Rectores, & ſubditos pro eorum exceſsibus, & delictis corrigere poſsint, prout eidem Capitulo, ſeu regimini principali eorum melius, & vtilius ſecundùm Deum Religioniſque debitum videbitur expedire.

Literæ Pij Papæ Quarti Rectori Generali Congregationis directæ incipientes. Cum ſicut nos non ſine animi noſtri diſplicentia accepimus. Et infrà. Nos, ad quos talibus, nè deteriora parturiant, debitam adhibere diligentiam, pertinet, ſuper ijs prouidendum eſſe cenſentes diſcretioni tuæ, de cuius, & inſtitutorum diffinitorum fiducia in noſtra plurimum confidimus, & pro tempore exiſtenti Rectori Generali dicti Ordinis, vt quoſcunque dicti Ordinis Canonicos, & perſonas errantes, vel delinquentes, ac irregularitatem contrahentes, tempore Capituli per vos celebrari ſoliti vnà cum toto Diffinitorio eiuſdem Ordinis, per te, & ipſius Ordinis Canonicos ipſo tempore deputatos ad te euocandi, ac eos iuxta illorum exceſſus errores, & crimina per te, & eoſdem Diffinitores, nemine eorum diſcrepante

pante corrigẽdi, puniẽdi, & mulctandi, nec non in rebelles, & inobedientes excõmunicationis, & irregularitatis, ac alias sentẽtias, censuras, & pœnas promulgandi, facta illorum, qui si in seculo essent, vltimo supplicio damnarentur, prius degradatione, si supradicto Rectori Ordinis, & octo Diffinitoribus incorrigibiles visi fuerint, aut sine graui scandalo diutius sustineri in Religione non posse dijudicauerint, illos perpetuò, vel ad tempus ad triremes mittendi, & condemnandi, eosque in manus exequutorum secularium consignandi; ac contra non parentes, seù inobedientes ad declarationem incursus censurarum, ac pœnarum huiusmodi, illarumq; aggrauationem, ac aliàs, prout necessarium fuerit donec paruerint procedendi, omniaque, & singula alia in præmissis, & circa illa necessaria, & quomodolibet oportuna faciendi, & exequendi, quacunque appellatione remota Apostolica auctoritate tenore præsentium liberam licentiam, & facultatem concedimus, tibique pariter indulgemus.

Habeatur itaque in quolibet Monasterio locus tutus, & aptus pro carcere, in quo delinquentes, cum opus fuerit, valeant sub custodia detineri. Nouitijs tamẽ, nisi periculum fugæ immineat, cella pro carcere assignari poterit, &, si opus fuerit, verberibus emendabuntur; cauebunt tamen prælati, nè si nouitius siuè Clericus, siuè etiam Cõuersus fuerit verberandus, per laicum id fiat, nè iuxta sacros Canones tàm præcipientes, quàm exequentes sententiam excommunicationis ipsò facto incurrant. c. Vniuersitatis de sent. excõ.

In leuibus culpis puniendis prælati iuxta regulas charitatis, & discretionis proprio arbitrio vtantur, prout saluti suorum subditorum magis viderint expedire, salua manente dispositione præsentium Constitutionum. In grauioribus tamen delictis, quando ad pœnam spiritualem, aut grauem pœnã corporalem agere oportebit, substantialia iudiciorum seruari debebunt. Quibus delictis certa pœna per Ordinis constitutiones statuta erit, constito de delicto, & de delinquente per legitimas probationes; ipsa pœna à proprijs, ordinarijsque Prælatis delinquentium statim sine mora infligi poterit, vel à Visitatoribus Prouinciarum; vel ab Abbate Generali; nam in similibus casibus sententia à toto Capitulo Generali iam lata esse intelligitur.

Cum autem ob grauius crimen, cui non est per Ordinis Constitutiones aliqua pœna præscripta, quis puniendus erit, Prælatus delinquentis, aut Visitatores, aut Abbas Generalis, aut alij, quibus Abbas Generalis vices suas committet, processum informatiuum conficiant; sententia verò diffinitiua à toto Diffinitorio ferri debebit. In absentes tamen, & non auditos sententia diffinitiua nunquam feratur, præsertim in ijs, in quibus ad grauem pœnã procedendum erit, vel fama delinquentis denigrabitur, tunc enim ordo iudicij, quoad substantialia, seruandus erit.

Si quis Prælatus crimen admiserit, ob quod suspendi mereatur, non tamen à gradu deijciatur, sed Vicarius loco illius constituatur vsque ad expletũ

tem-

tempus sui regiminis, nisi crimen tale esset, quod non solùm impediret promouendum, sed etiam deijceret promotum.

A pœnitentijs, seu pœnis per Diffinitorium ob delictum statutis nullus valeat dispensare, neque etiam Abbas Generalis, præter ipsum Diffinitoriũ. Prælati sententias contra suos subditos latas irrefragabiliter faciant executioni demandari, sub pœna faciendi disciplinam publicè tempore visitationũ. Si contingat, aliquem subditum ante expletam pœnitentiam illi impositã de vno Monasterio ad aliud mitti, Prælatus loci, ex quo mittetur teneatur alteri Prælato, ad quem mittetur, ac etiam Abbati Generali, & Visitatoribus prouinciæ id per suas literas significare.

Si quis in aliquo Monasterio ita deliquerit, vt necesse sit processum desuper formari, hoc fiat à Prælato loci, aut Visitatoribus, aut alio, cui Abbas Generalis committet quantum fieri poterit secretè, nè delicta extraneis innotescant; nec vllo modo in processu conficiẽdo notario seculari vtantur, neque causæ criminales eorum, qui sunt de nostra Congregatione ad personas seculares vllo pacto deferantur, nec illis imprudenter, vel per malitiam processus desuper confecti tradantur, nec permittantur Iudices seculares in causis criminalibus personarũ de nostra Congregatione existentium se intromittere quouis pacto. Si quis malitiosè, vel per imprudentiam crimina eorum, qui sunt de nostra Congregatione ad Tribunalia extranea ab ipsa Có-

gregatione, vel ad Principes seculares, vel ecclesiasticos, aut alias personas extraneas detulerit, sit suspensus à Prælatura per tres menses; & si illius excessus ita postulauerit, pœnis contra reuelantes secreta Religionis inferius in proprio capite statutis subiaceat. Si tamen ob delicti grauitatem Iurisperitos consulere oportuerit, Aduocati, & Procuratores Monasteriorum, & aliæ personæ erga Congregationem affectum dilectionis gerentes cum prudentia, & sobrietate consulantur. Non etiam interdicitur reo, quin posit in causis grauioribus aliquẽ Aduocatum secularem patronum in propria causa sibi eligere.

De Culparum diuersitate. Caput XXXIII.

QVia omnia delicta paria non sunt, vt, iuxta mensurã cuiusq; delicti, sit modus, & quãtitas pœnarum; primò omnia culparum genera ad quatuor poterunt reduci: quædam enim culpæ leues, aliæ graues, aliæ grauiores, & aliæ grauisimæ censeri debebunt. Culpa leuis æstimabitur, quã aliquis per inaduertentiã, vel ignorantiã, aut ex lapsu linguæ absque perfecta animi deliberatione in rebus non magni momenti admittet, vt silentium loco, & tempore statutis non seruare, comedere, vel bibere sine licentia, ridere in Choro, oculis curiosè vagari, fratres deridere, de otiosis, &

inuti-

inutilibus loqui, in ſcholis, vel circulis ſtrepitum facere, vas frangere, aliquid in menſa indecenter effundere; quæ tamen culpæ accedente expreſſa prohibitione, & præcepto Prælati, aut ſi quis pluries de huiuſmodi à Superioribus correptus emendare neglexerit, graues fient.

Pro culpa graui habenda erit, præceptum expreſſum tranſgredi, ac etiã ea, quæ in Regula præcipiuntur, non tamen ad ſubſtantialem votorum obſeruantiam ſpectantia, aut quæ ſcãdalum proximis generare poſsit, etiamſi de ſe minimè lethalis fuerit, vt ſine licẽtia Prælati literas, vel aliquod munus accipere, res ex Cella alterius auferre, cum quis domo egreditur etiam de licentia Prælati à ſocio diſiungi, colore, aut forma veſtibus prohibitis vti, comam, vel barbam nutrire, cum ſecularibus nimia familiaritate vti, vel cum eis ludere, arma occultè ferre, nouitios alloqui ſine licentia Prælati, vel Magiſtri, & alia ſimilia, quæ prudentiæ patrum ponderanda, & æſtimanda relinquuntur.

Inter grauiores culpas numarabuntur quæ manifeſtũ ſcandalum proximis præbebunt, & quæ ex ſuo genere ab omnibus peccata lethalia reputantur, & quæ per Sacros Canones ſub grauibus pœnis præſertim excommunicationis, & depoſitionis Clericis ſunt interdicta, vt illicita negociatio, ludus alearum, lapſus carnis, vitium proprietatis, furtum, aperta inobedientia, apoſtaſia, rebellio, blaſphemia, & aliæ pro quibus aliquis ſecundùm Canones deponi, vel excommunicari mereretur.

Culpæ

Culpæ grauiſsimæ cenſebuntur illæ omnes, pro quibus ſecundùm leges ſeculi aliquis vltimo ſupplicio afficiendus eſſet, nec non propriæ Religionis proditio, & incorrigibilitas.

Leuium, & etiam grauium culparum pœna, quæ per Ordinis Conſtitutiones ſtatuta non eſt, Superiorum arbitrio relinquatur. Culpæ grauiſsimæ pro quibus aliquis vltimo ſupplicio afficiendus eſſet, perpetuo carcere, vel deputatione ad perpetuas triremes à Diffinitoribus, ſeruato ordine iudicij, puniantur. Reliquæ ſecundùm diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & ſequentium Conſtitutionum ita puniri debebunt, vt ſit in poteſtate Patrum Diffinitorum, omnes, & ſingulas pœnas pro quouis delicto impoſitas, vel imponendas augere, vel minuere, ijs exceptis, quæ ſpecialiter per Ordinis Conſtitutiones illis prohibentur.

De pœnis vagantium, & Prælatorum non reſidentium. Caput XXXIV.

VT tollatur ſubditis occaſio vagandi, ſtudeat in primis ipſi locorum Prælati in proprijs Monaſterijs reſidere, nec ſub quocunque prætextu huc, & illuc vagentur, cum reſidentia ſit de Iure diuino; ſi quis Prælatus non reſederit in ſuo Monaſterio, acriter corripiatur ab Abbate Generali; ſi correptus reſidere neglexerit, à Prælatura

remo-

remoueatur; & super residētia nec ipse Abbas Generalis, nisi in casibus à Iure permissis, valeat cum aliquo dispensare. Nullus autem Prælatus sine licentia ab Abbate Generali, vel à Visitatoribus Prouinciæ in scriptis obtinenda vltrà duas Dietas valeat proficisci, sub pœnis ad arbitrium ipsius Abbatis Generalis infligendis; neque sine licentia in scriptis obtenta ab ijs, ad quos spectabit, permittat, suos subditos extra Diœcesim proficisci, sub pœna suspensionis ab officio per tres menses,

Subditi sine licentia in scriptis, vt præmissum est, obtenta à proprijs Monasterijs discedere non audeant, etiam sub prætextu adeundi Abbatem Generalem, aut aliquem ex Visitatoribus, excepto aliquo casu vrgentissimæ necessitatis; qui secus fecerint carceribus mancipentur, & puniantur ad præscriptum Constitutionis positæ in prima parte Capitulo trigesimoquinto.

Nullus Prælatus, aut Visitator, aut etiam Abbas Generalis in posterum concedere possit licētias alicui ex nostris siuè Canonico, siuè etiam Conuerso, vt maneat extra loca nostræ Congregationis in seruitio, vel ministerio alicuius personæ, quæ non sit de nostra Congregatione, siuè secularis, siuè etiā Regularis alterius Ordinis, siuè in eorum villis, ruribus, casalibus, siuè etiam oppidis, & Ciuitatibus, neque vt conducat bona personarum, Collegiorū, aut etiam Religiosorum non existentium de nostra Congregatione ad firmam, siuè ad affictum; nisi habuerit aliquod beneficium in titulum, vel specia-

lem licētiam à Sede Apostolica, & in omnibus seruetur Decretum Sanctissimi D.N. Pauli Quinti, & Sacræ Congregationis super negotijs Regularium nuper editum, quo Regulares extra Claustra degētes, ad illa quamprimum reuocari iubentur.

Dec. Clem. PP. VIII. de Ref. Reg. 22.23

Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint: si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant. Quod quidem Decretum Sanctissimus D.N. Clemens PP. VIII. fel. rec. declarauit extendi etiam ad Prouincialem, ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauitq; pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, & Protectori facultate illam moderandi, & relaxandi sub Dat. Romæ die 20. Martij 1601.

De pœnis ludentium. Caput XXXV.

NE sub honestæ recreationis nomine Canonici, & Conuersi nostri, quos summa decet sanctitas, criminosa sectentur, ea propter qui cartis lusisse conuictus fuerit, pro prima vice priuetur voce actiua, & passiua per annum, & faciat disciplinam in Refectorio tempore communis refectionis. Prælati ludentes, aut ludum scienter in suis Monasterijs permittentes, vacent per annũ: si secundò id fecerint, pœna eis duplicetur: si tertiò, subditis habitus professionis auferatur, Prælati à prælaturis deponantur; & sint inhabiles ad illas obtinendas quousque per Generale Capitulum cũ eis dispensetur. Quia verò ludus alearum Clericis sub pœna excommunicationis, & deiectionis à gradu proprij Ordinis est interdictus, quicunque aleis lusisse deprehensus fuerit, si sit Canonicus, pro prima vice priuetur voce actiua, & passiua per annum & habitu professionis per mensem; si Conuersus, habeat Claustrum per sex menses, & priuetur patientia per mensem. Si Prælatus ipse luserit, aut ludere permiserit, aut ludentes non castigauerit, vacet à Prælatura per annum: Si secundò relapsi fuerint, pœna illis duplicetur: Si tertiò, Canonici priuentur voce actiua, & passiua per decem annos, & habitu professionis per annũ, & qualibet sexta feria faciant

c. inter dilectos de excef. prę̄l. Bened. xij. in Decreto reform. canon. Reg.

disciplinam; Conuersi stent in carcere per tres mẽses, priuentur habitu professionis per biennium, & singulis sextis ferijs faciant disciplinam publicè in refectorio. Prælati verò priuentur Prælaturis in perpetuum. Spectatores ludi alearum stent in Claustro per sex menses.

Ludi, qui causa exercitij, vel honestæ, ac religiosæ recreationis Clericis permittuntur, nostris ea lege concedantur, vt pecuniæ non interueniant, nec in diebus pœnitentiæ ludatur, nec etiam magnam temporis iacturam expendant ludentes, & tandem vt nullus absque licentia Prælati ludere audeat; secùs facientes, pro qualibet vice faciant disciplinam publicè in Refectorio. Nullus etiam ludat cum secularibus, exceptis domesticis, ac familiarissimis nostræ Congregationis siuè extra, siuè etiam intra Claustra, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per annum.

De pœnis exercentium illicitam negociationem, & alias quasdam, artes. Caput XXXVI.

QVicunque mercaturam, & omnem illicitam negociationem Clericis, & Regularibus interdictam exercuerit, pro prima vice, si sit Prælatus, vacet ab omni regimine per tres annos: si Canonicus, aut Conuersus claustrum habeat per annum; & omnes, pecunijs, & rebus, in

quibus

quibus mercaturam exercuerunt, statim priuentur. Nomine verò illicitæ negociationis illa omnis intelligatur, quam quis nomine proprio, non autem Monasterij exercuerit, & ex qua lucrum principaliter intendet, vt res emere, & cariùs vendere, pecunias lucri causâ in societatem conferre, animalia quæque ad societatem alijs dare, prædia, & alia bona in affictum conducere, & pecunias sub vsuris mutuare. Quòd si Canonici secundò, aut tertiò admoniti ab huiusmodi negociationibus non destiterint voce actiua, & passiua in perpetuum priuati existant, & ad omnia officia, gradus, & Prælaturas inhabiles: & sciant etiam se iuxta sacros Canones, debere excommunicationi subiacere: Conuersi verò carceribus per annum deputentur, & habitu professionis in perpetuum priuentur. c. secundũ instituta. Ne clerici, vel mon.

Quicunque artem Alchimiæ, quæ per Sacros Canones prohibetur, & quam exercentes pro infamibus habentur, exercuisse conuictus fuerit, tanquam infamiæ notatus ad omnia officia, gradus, ac dignitates perpetuò inhabilis existat, & si sit Conuersus, pœna carceris ad arbitrium Superioris punietur. Extra de crimine falsi.

De pœnis ſcribentium literas ſine licentia, & aperientium, aut detinentium, aut etiam falſificantium literas aliorum. Caput XXXVII.

Literas ſine licentia Prælati nemo ſcribat, excepto ad Superiores; neque ab alijs ſibi ſcriptas recipiat, vel legat: ſi ſecùs fecerit pro prima vice dicat, Miſerere, brachijs extenſis in Refectorio; pro ſecunda comedat in terra ſine ferculo; pro tertia faciat diſciplinam publicè in Refectorio: ſi contumax fuerit, ad arbitrium Prælati grauiùs corripiatur.

Nemo cuiuſcunque gradus literas aliorum audeat intercipere, vel aperire, exceptis literis ſuorum ſubditorum, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ per annum, præter alias pœnas per ſacros Canones, & Bullas Pontificum contra huiuſmodi delinquentes ſtatutas. Qui verò literas à Superioribus ad ſubditos, vel à ſubditis ad Superiores directas intercipere, aut legere, aut detinere ita, vt ad illos peruenire non poſsint, auſus fuerit, ſit ſit Prælatus, vacet à prælatura per annum; ſi Canonicus ſubditus priuetur voce actiua, & paſsiua per bienniũ; ſi Conuerſus priuetur habitu profeſsionis per ſex menſes, & alijs grauioribus pœnis ad arbitrium Abbatis Generalis plectantur. Nullus literas infamatorias, niſi proprio nomine ſubſcriptas, ſcribat,

Vide Practicã crimin. Bern. Diaz c. 104

vel ſcribi faciat, ſub pœna Canonicis, ſiuè Prælatis, ſiuè ſubditis priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ per quinquennium; Conuerſis verò priuationis habitus profeſsionis per quinquennium ipſo facto, ſi conuicti fuerint incurrendæ. Nemo etiam accuſatorias; & infamatorias literas contra quemcunque ſiuè Canonicum, ſiuè Conuerſum Capitulo Generali, vel Diffinitoribus, vel Abbati Generali, vel alijs quibuſcunque ſcribat, niſi valeat per teſtes idoneos, aut per veriſimiles coniecturas narrata comprobare. Aliòquin ad pœnam talionis teneatur; niſi calore inſtantis iracundiæ ſe id feciſſe publicè fateatur; quo caſu mentitum ſe fuiſſe fateri debebit, & pedes Fratrum oſculando humiliter veniam ſui erroris petere, & nihilominus Clauſtrum cum ſilentio per ſex menſes habeat.

Si quis literas Superiorum, aut Officialium Monaſterij, aut alterius perſonæ, vel ſigillum Monaſterij, vel alterius falſificauerit, pœna criminis falſi puniatur.

De pœnis Calumniatorum. Caput XXXVIII.

SI quis fratri ſuo, etiam verum crimen obiecerit, de quo per condignam emendationem iam ſatisfecerit, vel ſe canonicè purgauerit, ſiuè is ſit Prælatus, ſiuè ſubditus, quoties id fecerit,

tres

tres disciplinas coram omnibus faciat, ter in pane, & aqua ieiunet, ter Psalmos Pœnitentiales cum Litanijs dicat. Similiter si verum crimen obiecerit, non seruata fraternæ charitatis forma, stet in Claustro per sex menses. Si quis in aliquem delicta protulerit, aut quempiam voce, vel scriptis infamauerit, etiam prætextu quòd ab alijs audierit, nec probauerit, quod dixit, aut scripsit; vel dixerit, à quo audiuit, & probauerit, pœnam talionis subeat; & si talis sit, qui pro maledictis pari pœna affici nõ possit, maneat in carcere per tres mẽses, & voce actiua, & passiua per decennium sit priuatus, nisi calore instantis iracundiæ id fecisse confessus fuerit; in quo casu mentitum se fateri debebit, & fratrum pedes osculari & veniam humiliter petere, & ad arbitriũ Superioris puniri. Si tamen famoso libello alterius famam læserit ad famæ restitutionem teneatur, voce actiua, & passiua per decennium priuatus existat, & per annum carceri mancipetur; Eandem pœnam subeat, qui eiusmodi famosos libellos, etiam si à se minimè compositos fateatur, inuulgare ausus fuerit.

Si quis per viam accusationis falsum crimen alicui obiecerit, teneatur statim ad famæ restitutionẽ: quod si facere noluerit, & actione iniuriarum condemnatus fuerit, stet ad pœnam talionis; & propter notam infamiæ, quam incurret, perpetuò sit inhabilis ad omnes dignitates. Si autem verum crimen obiecerit, sed in probatione defecerit, donec suam innocentiam probauerit, voce actiua, & passiua priuatus

c. cũ se. de sententia, & re iudic.

c. 2. de calumniator.

uatus exiſtat. Si quis in iudicio falſum teſtimonium contra aliquem dixerit, ad famæ reſtitutionem teneatur, etſi falſi teſtimonij conuictus fuerit, omni officio, ac dignitate, & voce actiua, & paſsiua in perpetuum priuatus exiſtat, & iuxta grauitatem delicti pœna carceris puniatur. c.ſi Epiſcopus. ſo.d.

Super prædictis pœnis diſpenſari non poſsit, niſi toto Diffinitorio conſentiente: & in omnibus ſimilibus caſibus, præceptum regulæ ſeruetur, vt quicunque conuitio, vel maledicto, vel criminis obiectu aliquem læſerit, pro iniuria illata fratri ſatisfacere teneatur, etiam publicè, ſi iniuria publicè fuerit irrogata.

De maledicis, & ſeminantibus diſcordias. Caput XXXIX.

MAledici, & qui mala ſolent imprecari, ſeuerè à Superioribus corripiantur: pro prima vice faciant diſciplinam publicè in Refectorio; ſi correpti murmurare, & maledicere non deſtiterint, ab aliorum conſortio ſeparentur, ſilentium habeant ad arbitrium Prælati, nemo cum eis audeat loqui. Qui ſeditiones in Monaſterijs excitare ſolent, & omnes carpere, linguam ſuam ſurſum deorſum vibrantes, & omnia perturbantes, eadem pœna puniantur; & ſi ſecundò, aut tertiò correpti emendare, & linguam refrœnare noluerint, in carcerem ad Patris arbitrium conijciantur.

Si quis

Si quis de Ecclesiasticorum, vel etiam laicorum Principum personis ausu temerario oblocutus fuerit, grauissima pœna iuxta delicti grauitatem, ad arbitrium Superiorum corripiatur. Quicunque alterius facta, vel dicta alijs retulerit, per quæ scandalum in animis audientium generari possit, aut discordias inter fratres disseminauerit, pro qualibet vice ieiunet in pane, & aqua in terra tempore communis refectionis; si secundò, aut tertiò relapsus fuerit, grauiùs ad Patris arbitrium puniatur. Eidem pœnæ subiaceat qui verba turpia, vel scãdalosa protulerit, & qui bella Principum, & nationum cum studio partium in colloquio adduxerit, vnde sæpè tumultus, & contentiones perperam excitantur. Debemus enim de omnibus nationibus, in quibus nomen Domini laudatur, benè sentire, & loqui.

De pœnis blasphemantium. Caput XL.

SI quis (quod Deus auertat) in tantum progressus fuerit malum, vt Deum, aut Beatam Virginem blasphemare ausus fuerit, si blasphemiæ hæreticales erunt, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis denuntiari debebit; illæ verò blasphemiæ hæreticales censentur, quæ aut nefandam infidelitatis significationem habent, aut fidei cofessioni directè opponuntur, vt abnegare Deum, Fidem, Crucem, Sacramenta, integritatem B. V. & similia: si quis

etiam

etiam verba, quæ hæresim saperent protulisse verbo, aut scripto, aut maleficijs, incantationibus, & similibus operam dedisse reperiretur, ne contagione pestifera, alios posset inficere, Inquisitoribus hæreticæ priuitatis statim denuntiari deberet.

Si autem alias blasphemias non tamen hæreticales in Deum, aut Beatam Virginem quis protulisse conuictus fuerit, per Prælatos nostræ Congregationis tanquam ordinarios Iudices puniendus erit. Pro prima vice, si sit Prælatus per annum ab officio, & regimine sit suspensus; si subditus, careat voce actiua, & passiua per annum: pro secunda vice pœna ei duplicetur: si tertiò relapsus fuerit omnibus officijs, & dignitatib⁹, & voce actiua, & passiua ipso facto in perpetuum priuatus existat. Conuersi pœnis corporalibus carceris, & similibus proportionabiliter puniantur. Qui verò nomen Domini, aut B. Virginis, aut Sanctorum irreuerenter, & indecẽter vsurpauerit iurando per Deum, vel Sanctos, vel ad corpus, & sanguinem, &c. & alia similia protulerit, quæ blasphemiæ vulgariter nuncupantur, pro prima vice faciat tres disciplinas publicè in Refectorio & comedat ter in terra in pane, & aqua: pro secũda habeat Claustrum per sex menses: si tertiò relapsus fuerit, puniatur pœna Canonis, in Cap si quis per capillum 22. quæst. 1. & in cap. 2. de maledicis. Prælati verò teneantur subditos delinquentes ad præscriptam præsentiam Constitutionum, admonere, & castigare.

Demùm Constitutio Sacri Concilij Trid seruetur,

sess. 4. uetur, quæ ſic habet, poſt hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ Sacræ Scripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos, mandat, & præcipit ad tollendam huiuſmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Sacræ Scripturæ ad hæc, & ſimilia audeat vſurpare; vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrij pœnis per ordinarios coerceantur.

De pœnis proprietariorum, & furum. Caput XLI.

SI quis pecunias, veſtes, libros, aut quodcunque aliud pecunia æſtimabile occultè apud ſe, vel apud perſonas extra Congregationem exiſtentes abſque licentia tenuerit, nec Prælato reuelauerit ſaltem poſt factas generales admonitiones iuxta morem, & conſuetudinem Congregationis, tanquam voti tranſgreſſor, acriter puniatur; ipſis rebus ſtatim priuetur, & per annum habeat Clauſtrum cum ſilentio. Ipſi Prælati tempore viſitationum quidquid pecuniarum, aut aliud pretio æſtimabile habuerint apud ſe, vel apud alios, Patribus Viſitatoribus tempore viſitationum veraciter reuelare

lare teneantur sub pœna priuationis officiorum, & prælaturarum per tres annos. Si autem aliquis in sua nequitia obduratus tempore mortis inuentus fuerit, pecunias, aut aliud pretio æstimabile tenuisse, nec suis Superioribus reuelasse, iuxta canonicas sanctiones sepultura ecclesiastica priuatus existat. cap. super quodam de statu monac.

Si quis pretium ducati vnius furatus fuisse sit conuictus, stet in carcere per mensem: si pretiū ducatorū duorū, stet similiter in carcere per duos méses, & trium per tres menses: si verò tale furtum admiserit, ob quod secundum leges seculi vltimum supplicium mereretur, carceri perpetuo, vel ad triremes deputetur. Prælati hanc constitutionem contra subditos delinquentes irrefragabiliter exequantur; & ne delicta iudiciorum collusione tegantur, & impunita maneant, quotiescunque in suis Monasterijs, aliquod furtum admissum fuerit, processus desuper conficere, & de eiusmodi Abbatem Generalem, & Visitatores certiores facere teneantur.

Quicunque de crimine furti conuicti fuerint, vel de eo accusati, & grauiter inditiati, nisi se ipsos canonicè purgauerint, sciant se iuxta canonicas sanctiones infamiæ notam incurrisse, & ideo inhabiles esse ad omnia officia, gradus, & dignitates in Congregatione obtinenda.

De pœnis incontinentium, & laborantium vitio luxuriæ. Caput XLII.

SI quis ex nostris Canonicis hoc vitio laborare cõuictus fuerit, omni regimine, & voce actiua, & pasſiua per decennium ſit priuatus, per duos menſes carceri mancipetur, & per annum ieiunet ſemel in hebdomada in pane, & aqua. Conuerſi ſtent in carcere per duos menſes, priuentur habitu profeſsionis per decem annos, & per annum ſimiliter ieiunent ſemel in hebdomada in pane, & aqua. Si autem aliquis de hoc crimine grauiter fuerit diffamatus, non tamen conuictus, canonica purgatio ei indicenda erit, in qua ſi defecerit, pro conuicto habeatur, & prædictis pœnis puniatur. Si quis in hoc genere delicti taliter deliquerit vt ſecundũ leges ſeculi vltimum ſupplicium mereretur, perpetuò carcerari, vel triremibus ad arbitrium Patrum Diffinitorum deputetur. Super prædictis pœnis diſpenſari non poſsit, niſi à toto Diffinitorio, nemine diſcrepante. Accuſanti tamen ſe ipſum ſponte, ad arbitrium proprij Prælati, & etiam Abbatis Generalis pœna ex aliqua parte relaxari, & alleuiari poſsit.

De

De pœnis percutientium Fratres. Caput XLIII.

SI quis aliquem ſubditum de noſtra Congregatione percutere comminatus fuerit, ſtet in carcere per menſem: ſi percuſſerit leui percuſſione, pugno, alapa, aut calce, ſtet in carcere per tres menſes: ſi cum lapide, vel ligno, ſtet in carcere per ſex menſes, & ſingulis ſextis ferijs ieiunet cum pane, & aqua: ſi autem cum armis percutere comminatus fuerit, & ad hoc arma ipſa detulerit, ſtet in carcere per ſex menſes: ſi cum armis percuſſerit, ſtet in carcere per annum. Et ſi percuſsio grauis, & enormis fuerit grauiùs ſecundũ iuris diſpoſitionem puniatur. Si verò Prælatũ percutere comminatus fuerit, vel etiam percuſſerit, iuxta prædictum modum pœna illi duplicetur.

Qui ſubditum, vel Prælatum occultè percuſſerit, ſi de crimine per vero ſimiles coniecturas fuerit diffamatus, canonica purgatio illi indicatur per tres teſtes ſui Ordinis bonæ vocis & famæ; in qua ſi defecerit, tanquam de crimine conuictus puniatur. Qui laicum ſecularem percuſſerit, iuxta qualitatem delicti, & modum percuſsionis puniatur pœna duplo minori proportionabiliter ad ſupradictas pœnas.

De contumacibus, & appellantibus à correctione. Caput XLIV.

SI quis proprio Prælato, aut etiam Vicario, dum ab eo corripitur, temerè respódere ausus fuerit, faciat pro qualibet vice disciplinã publicè in Refectorio, & si assuescat temerè suis Superioribus respondere, ita corripiatur, vt religiosã discat humilitatem. Cum ad leuem culpam corrigendam, aut ad virtutem humilitatis, & patientiæ probandam, & exercendam alicui pœnitentia iniungetur, nullus etiamsi culpæ, ob quam eiusmodi pœnitentia illi iniungetur, innoxius sibi videatur, audeat à correctione appellare, quod si quis fecerit, ieiunet per annum singulis sextis ferijs in pane, & aqua, & careat voce actiua, & passiua per decem annos.

Si tamen grauis pœna ei pro delicto imponatur, ob quam illius fama denigretur, & grauari se sentiat, non interdicitur illi recursus ad Superiores, si debito modo fiat; & cum debita humilitate, aliàs si quis cum proteruia, & indebitis modis ad Superiorem appellauerit, prædictæ pœnæ subiacebit. Vt verò subditorum indemnitati, qui se à Prælatis grauari sentient, oportunè prouideatur: statuimus, vt quicunque grauatum se senserit, & à proprio Prælato ad maiores Superiores recurrere voluerit, lite-

ras

ras ipsis maioribus Superioribus directas, in quibus suum grauamen illis humiliter exponet, ipsi Prælato corã duobus, vel tribus testibus præbeat, & Prælatus ipse teneatur, easdem literas maioribus Superioribus statim recta via fideliter transmittere; interim verò contra talem subditum nihil innouetur.

Et quoniam Diabolo operante nonnunquam reperiuntur in Monasterijs, qui non solùm obedientiam, & regularẽ correctionem refugiant, sed etiã contra Superiores simultates excitent, & nutriant: si quis alicui, ne suo Prælato humiliter obediat, cõsilium, vel auxilium, vel fauorem præbuerit, & de hoc fuerit conuictus; si fuerit Prælatus, vacet à prælatura per triennium; si subditus Canonicus, priuetur voce actiua, & passiua per triennium; si Conuersus, priuetur patientia per annum, & habeat Claustrum cum silentio per sex menses.

De fugitiuis, & Apostatis. Caput XLV.

SI quis leuitatis causa, vel indignationis, vel vitandi correctionis rigorem sine licentia è Monasterio aufugerit, & infra tres dies reuersus, proprij erroris veniam postulauerit, recipiatur, & ad arbitrium Prælati ieiunijs, & disciplinis, uel etiam sequestratione à consortio aliorum castigetur; si autem ad aliud Monasterium infra idem tem-

tempus confugerit, recipiatur in carceribus, & de illius aduentu Abbas Generalis, vel propinquior ex Visitatoribus admoneatur, & eius responsum expectetur. Idem seruetur, si quis ob delictum aufugerit, & ad proprium, vel alienum Monasterium infra idem tempus reuersus fuerit; excepto quod pœna illi ob delictum aggrauari debebit.

Si verò vltra tres dies steterit extra Congregationem, & habitum professionis non dimiserit, & infra mensem reuersus fuerit, recipiatur, & pro sui erroris emendatione stet in carcere per tres menses, & si fuerit Canonicus voce actiua, & passiua per triennium priuatus existat, & toto illo tempore vltimus inter Canonicos sui Ordinis in locis publicis maneat; si autem sit Conuersus, habitu professionis per annum sit priuatus, & per tres menses singulis sextis ferijs ieiunet in pane, & aqua.

Si autem vltra mensem extra Congregationem habitu retento steterit, nullus illum recipere possit nisi de consensu Abbatis Generalis, & Diffinitorũ omnium tempore Capituli Generalis, vel Dietæ, & receptus stet in carcere per tres menses, & si sit Canonicus vltimus stet in Choro, & alijs locis publicis inter Canonicos sui Ordinis, voce actiua, & passiua priuetur per decem annos: si autem sit Conuersus priuetur patientia per decem annos, & bis in hebdomada ieiunet in pane, & aqua.

Si verò animo apostatandi habitu relicto è Monasterio discesserit, & extra Congregationem vltra mensem similiter steterit, eidem pœnæ subiacebit,

& si

& si fuerit Canonicus, præter dictam pœnam decē annorum, ad omnia officia, gradus, & dignitates in perpetuum inhabilis erit, & tempus, quod extra Congregationem consumpserit, ei non computabitur inter annos Religionis, & si in seculo scandalosè vixisse deprehensus fuerit, manebit in carcere per annum, & grauioribus pœnis iuxta criminum grauitatem, puniri debebit. Conuersi verò loco priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad officia, & dignitates, habitu professionis priuari, & colore taneto, sicut oblati, perpetuò vestiri debebunt. Super hoc nec etiam Abbas Generalis, nisi toto Diffinitorio consentiente, valeat dispensare.

Et nihilominus ne huiusmodi fugitiui, & apostatæ extra claustra cum dedecore Congregationis vagentur, Abbas, & Procurator Generales, & Visitatores ex proprio officio, & alij locorum Prælati, illos diligenter inquirere, & capi facere debebunt, & in carceribus sine habitu detinere, donec per Diffinitorium in Capitulo Generali, vel dieta quid de huiusmodi fieri debeat, decernatur. Apostatæ verò ad Congregationē ter recepti, si vltra apostatauerint pro incorrigibilibus habeantur, & amplius ad Congregationē non admittantur. Si tamen postulauerint aliam ingredi Religionem Abbas Generalis id eis concedere poterit, cū hac tamen conditione, vt infra tres mēses à die habitæ huiusmodi cōcessionis, teneātur ingredi aliquā Religionē, in qua regularis vigeat obseruantia, & illū de suo ingressu cer-

tiorem facere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si infra illud tempus, legitimo impedimento cessante, ipsam Religionem ingressi non fuerint.

Fugitiuos, aut apostatas, aut eiectos, seu licentiatos à Congregatione nullus contra formam præsentis Constitutionis recipiat in nostris Monasterijs ad manendum, comedendum, vel loquendum; sed si quid eis dicendum fuerit, ad ianuam Monasterij, vel in Ecclesia breuissimè dicatur.

De pœnis reuelantium secreta Congregationis, vel defectus personarum in ipsa existentium. Caput XLVI.

CVm nihil tàm impium sit, quàm patris, aut matris turpitudinem reuelare, si quis occultos defectus alicuius ex nostris personis quibuscunque extra Congregationem existentibus manifestauerit, vel crimina alicuius personæ de nostra Congregatione ad Tribunalia personarum siuè secularium, siuè ecclesiasticarum iurisdictionem in ipsam nostram Congregationem non habentiũ directè, aut indirectè detulerit, vel processus contra personas de nostra Congregatione existentes formatos, vel illorum copias eis dederit, vel dari fecerit, aut alio quouis modo fuerit in causa, vt personæ in nostram Congregationem iurisdictionem

non

non habentes, in causis eorum, qui sunt de Congregatione se intromittant, de illorum excessibus informationes capiendo, vel cognoscendo, aut illos ad sua Tribunalia quouis modo trahendo: talis omni officio, dignitate, & regimine in perpetuum priuatus existat, & cum eo non possit, nisi à toto Capitulo per vota secreta dispensari:

Qui occulta negocia Congregationis, præsertim quæ tractantur in Capitulis Generalibus, vel Dietis, vel in Capitulis Monasteriorum, alicui personæ de gremio Congregationis non existenti in damnum, & præiudicium Congregationis reuelauerit, voce actiua, & passiua per annum sit priuatus, & iuxta excessus qualitatem grauius puniatur.

De ijs, qui Congregationem extraneis subiugare tentauerint, vel contra illam impetrauerint. Caput XLVII.

QVicunque nostram Congregationem Potestatibus quibuscunque, aut personis de gremio Congregationis non existẽtibus in toto, aut in parte, subiugare tentauerit, perpetuò, dum vixerit, carceri mancipetur.

Qui falsis narrationibus nomine Congregationis aliquid nostris Constitutionibus, & consuetudinibus contrarium à Sede Apostolica impetrare tẽtauerit, cum iuxta canonicas sanctiones taliter im- c. ex parte c. cum dilectus de

elect. c. cū olim de sent. & re iudicata.

petrata tanquam per ſubreptionem obtenta, nullū robur habeant; omni gradu, & officio, ac dignitate, voce actiua, & paſsiua in perpetuum priuatus exiſtat, & carceri deputetur, quamdiu per Capitulū Generale cum illo fuerit diſpenſatum. Abbas verò Generalis, & ſimiliter Procurator Generalis, & Viſitatores Sanctiſsimum D.N. de huiuſmodi ſubreptione, & falſitate narratorum quamprimum certiorem facere teneantur.

De incorrigibilibus. Caput XLVIII.

QVia ſapientis eſt Medici putrida membra, quæ omnibus medicamentis adhibitis nō conualeſcunt, ſed in peius deficiunt, ne reliqua membra inficiant, ferro abſcindere; idcircò inhærendo Regulæ noſtræ, & antiquæ Ordinis cōſtitutioni, ſtatuimus, vt quicunque ex noſtris ſæpius de grauioribus, & grauiſsimis culpis cōuictus, & punitus, vitam emendare noluerit, excommunicetur, & ab omnium Fratrū conuerſatione ſeparatus maneat; & ſi hoc nihil prodeſſe viſum fuerit, & à toto Diffinitorio incorrigibilis iudicabitur, ablato illi habitu profeſsionis, aut perpetuo carceri, aut triremibus deputetur, ne contagione peſtifera aliós inficere

Ann. 1561. 28. Iunij.

poſsit, ſicut etiam in priuilegio Pij Quarti nobis conceditur. Si autē illius delicta ſint notoria non ſolùm noſtris, ſed etiā perſonis ſecularibus, itaut ſcandali-

dalizentur extranei, & nostri ex eius conuersatione inficiantur, & à toto Diffinitorio incorrigibilis iudicatus fuerit, ablato similiter habitu Religionis, de nostra Congregatione expellatur, vt sic nostri timeant, & extranei scandalizari desinant, ita verò licentiatus, & expulsus in nostris domibus non recipiatur ad edendum, manendum, vel loquendum, vt in Capitulo præcedenti dictum fuit. Illi pro incorrigibilibus habeantur, qui de grauiori, aut grauissimo delicto ter conuicti, & puniti vitam emendare noluerint, cujusmodi sunt crimen apostasiæ, percussionis Fratrum, furti, concubinatus, proprietatis, atrocis blasphemiæ, rebellionis, proditionis, & similium.

Circa verò apostatas & eiectos seruentur Decreta à Sac. Cong. Conc. ex peculiari facultate. S. D. N. Vrbani PP. VIII. edita. Dec. sacr. Cong. Cõc. de Reg. Apost. & eiectis. anno 1624.

In illis verò Capitibus, in quibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Dec. Clem. PP VIII de refor. Reg. cap. 40.

De Generali Visitatione Congregationis. Caput XLIX.

CVm ad Catholicam, & orthodoxam Fidem seruandam ad errores tollendos, vitia estirpanda, mores reformandos, & regularem disciplinam in Congregationibus statuendam, maximo adiumento semper visa, & reperta fuerit ipsarum c. in singulis de statu Monac.

rum

rum Congregationum frequens, & diligens visitatio; idcirco iuxta sacrorum Canonum Constitutiones, & antiquam nostri Ordinis consuetudinem, præcipimus, vt tota Cógregatio quolibet anno per Visitatores ad hoc specialiter deputatos visitetur. Erunt autem Visitatores Congregationis in primis Abbas Generalis, qui saltem semel spatio triennij sui Generalatus, cessante legitimo impedimento, totam Congregationem visitare debebit; nec non quattuor socij eidem Abbati Generali per Generale Capitulnm adiuncti, quibus hoc munus specialiter incumbit, vnde & Visitatores Congregationis appellantur. Qui quidem singulo anno bini, & bini totam Congregationem visitabunt: videlicet bini dimidiam Congregationem, & bini alteram dimidiam. Cum autem Abbas Generalis visitationes peragere voluerit, in optione illius erit, quibus voluerit se adiungere; si verò vrgenti aliqua necessitate aliquis ex Visitatoribus detineatur, ne possit peragere visitationes, ipse Abbas Generalis alteri ex Visitatoribus adiunctus, cum illo visitationes perficiet, itaut semper duo simul visitent, ob maiorem huius muneris reuerentiam, & auctoritatem. Si autem etiam ipse Abbas Generalis ex causa necessaria impediatur, ne possit visitationes obire, cum consilio Visitatoris, cui socius erit adiungendus, aliquem Prælatum, vel subditum idoneum eligat, qui Visitatoris sic (vt præfertur) impediti suppleat vicem. Quibus autem Monasterijs visitandis quisque sit deputandus, Abbas Generalis determinabit.

Visita-

Visitationes eo tempore agãtur, quod ipsis peragendis magis videbitur oportunũ, itaut ante Quadragesimam omninò absoluantur: ne Visitatores sacro illo tempore peccatis per pœnitentiam redimendis destinato, huc, & illuc discurrentes, spiritualem quietem, & deuotionem aliorum perturbent. Acta visitationum exactè, & diligenter scribantur, præsertim Decreta, quæ pro reformatione cuiuslibet, loci, vel personæ fieri continget; quorum exempla Visitatores anni præcedentis sequentibus semper exhibebunt, vt videre possint ea, quæ pro reformatione sanctè ordinata fuerunt, an sint executioni demandata.

Visitatores hæc præsertim ante oculos habeant, ad quæ principaliter visitationes fuerunt institutæ, nimirum Fidem orthodoxam, puram, & synceram in Cõgregatione seruare, errores extirpare, regularẽ disciplinã sm̃ regulam, & Ordinis Cõstitutiones in Congregatione instaurare, rebelles cohibere, negligentes ad virtutem excitare, debiles fouere, oppressos subleuare, paterna charitate omnes complecti, & spirituales singulorum ægritudines pro viribus curare. Cum ad aliquod Monasterium visitandum accedent, cum omni honore, & charitate suscipiantur, & ad Ecclesiam statim accedentes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prius humiliter adorent, & post orationem factam se se ad hospitia recipiant. Interim Capitulum cum sono cãpanulæ de more congregetur; eo verò congregato maior ex Visitatoribus breui sermone causam, &

finem

finem illorum accessus significabit, & vt omnes, & singuli de his rebus, de quibus fuerint secundùm Deum interrogati circa res, & personas Monasterij veritatem dicant, similiter videbunt, aut si quid prauum, aut corrigendum in capite, vel in membris eiusdem Monasterij, vel in rebus, vel bonis spiritualibus, vel temporalibus occurrat, omni odio, & mala voluntate semotis ipsis Visitatoribus confidenter aperiant. Promittentque nullo pacto, quæ interrogati respondebunt, verbis, aut scriptis se alicui reuelaturos.

Postea ad Ecclesiam visitandam proficiscentur à sanctisimo Sacramento Eucharistiæ visitationes inchoando, quod facta prius adoratione, & incensatione cum superpellicco, & stola, cantatoq; versiculo, Tantum ergo Sacramentum, cum oratione cõsueta, summa cum diligentia inspicient cum pixide, custodia, & tabernaculo obseruantes, an decenter (vt oportet) singula teneantur exinde ad visitationem aliarum rerum ad Ecclesiam spectantium procedent, vt sunt Sanctorum reliquiæ, altaria, Icones, & Imagines, & si Ecclesia parochialis sit, fons baptismalis, oleum catechumenorum, & infirmorum, & Chrisma, postea ad cœmeterium procedẽt, cuiusque rei statum, & qualitatem prospicientes, & in actis visitationum describentes, & quæcunque reformatione opus habuerint, animaduertentes, & in eisdem actis notantes, & cum actis visitationum anni præcedentis conferrentes, vt videre posint, an Decreta in visitationibus præcedentibus facta executioni

cutioni fuerint demandata; deindè ad Sacristiam visitandam accedent, & sacrorum vasorum, & librorum, & sacrarum vestium rationes exquirent; catalogos etiam perpetuarum obligationum sibi exhiberi facient, & nam ipsis obligationibus tempore conuenienti, & integrè satisfiat; diligenter inquirent de eleemosynis etiam quotidianis, quæ pro Missis celebrandis recipiuntur, in quos vsus illæ cõuertantur, & vtrum Missæ, pro quibus dicendis cõferuntur, re vera dicantur: librum quoque inspicient, in quo singulæ Missæ, quæ quotidie in Ecclesia celebrantur, describi solent, quorum omniũ statum in actis visitationum similiter notabunt.

Demùm in Monasterium reuersi, Dormitoriũ, Vestiarium, & singulas Monasterij officinas, & particulares omnium siuè subditorum, siuè Prælatorũ cellas, & omnem supellectilem, tàm communibus, quàm particularibus, & priuatis personarũ vsibus deputatam similiter visitabunt. Libros etiam computorum, introituum, & expensarum Monasterij, & totam temporalem administrationem tàm extra, quàm intra Monasterium diligenter examinabunt, aduocatis etiam Administratoribus forensibus, & inspectis cuiusque Monasterij redditibus non solũ certis, sed etiam verosimilibus cuiusque anni instãtis, & præcedentis; inspectis etiam libellis, seu inuentarijs bonorum, tùm mobilium, cùm immobilium, quorum omnium statum, qualitatem, & quantitatem in actis visitationum similiter adnotabunt.

De generali examine familiæ. Caput L.

VIsitata Ecclesia, & Sacristia, cũ officinis Monasterij Visitatores in sua hospitia se recipientes toti familiæ examinandæ operam dare incipient, per viam Generalis Inquisitionis procedentes, delato cuique iuramento de veritate dicenda super ijs, de quibus fuerit legitimè secundum Deum interrogatus, adnotato cuiusque examine, vt posśit Abbati Generali, aut alijs Visitatoribus, cum opus fuerit exhiberi. Quod examen vt ordinatè, & vtiliter fiat, tàm circa res, quàm circa personas, duæ series, altera rerum, altera personarũ constituendæ erunt, circa quas suo ordine interrogationes fieri debebunt.

Prima series rerum continebit in primis Decreta, quæ pro reformatione à Visitatoribus anni anteacti facta fuerunt, circa quæ inquirent, an in Visitationibus anni præcedẽtis facta fuerint aliqua Decreta; an illorum copia in Monasterio habeatur; an illa in totum, vel in parte sint executioni demandata.

Secundò Regulam, & Ordinis Constitutiones, circa quas inuestigabũt, an in Monasterio habeatur ipsa Regula, & Constitutiones; an statutis temporibus, & diebus legantur; an ab omnibus obseruentur.

Tertiò

Tertiò votorum obseruationem, circa quæ perquirent, an sit aliquis in Monasterio parum obediens, temerariè Superioribus respondens, seditiones excitans, & fouens; an aliquis turpiloquus, vel de incontinentia diffamatus; an aliquis proprietatis vitio infectus; an aliquis habeat apud se, vel apud alios pecunias, aut aliquid pecunia æstimabile, & illarum quantitatem.

Quartò Diuina officia, & Missarũ celebrationẽ, circa quæ interrogabunt, an quolibet die in Choro statutis horis Diuina officia conuentualiter dicãtur; an sit in Monasterio aliquis Canonicus suspectus, quod Diuinum Officium minimè dicat; an quotidie Missa conuentualis cantetur; an singuli Sacerdotes frequenter sacrum faciant; an officia, & Missæ, quibus dicendis Monasterium obligatur, re vera dicantur; an aliquis Sacerdos in Missa dicenda talẽ se præbeat, qui populis scandalum, vel admirationem generare posit.

Quintò frequentiam Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, circa quæ inquirent, an saltèm decimoquinto quoque die fiat generalis cõmunio; an aliqui Clerici, aut Conuersi, aut oblati ex consuetudine ipsi communioni generali minimè intersint; an sit aliquis diffamatus, quòd raro sacramentaliter confiteatur.

Sextò curam ægrotantium, & senum; circa hæc examinabunt, an sit in Monasterio certus locus curandis infirmis assignatus; an sint aliquæ personæ ipsorum infirmorum curæ spirituali deputatæ; an

illorum diligens cura habeatur; an aliquid illis desit circa spiritualia, & corporalia seruitia, an medicamenta necessaria de consilio Medicorũ illis præbeantur; an sint Medici, qui statutis horis, illos visitent, & curent; an eorum, qui senio erunt confecti diligens cura habeatur.

Septimò literarum studia, circa quæ perquirent; an in studijs lectiones ordinariæ iuxta locorũ exigentiam habeantur, & à quibus; an fiant quotidianæ repetitiones, & disputationes in Sabbathis; an Prælati lectionibus repetitionibus, ac disputationibus ipsis frequenter intersint; an habeatur in singulis locis lectio casuum conscientiæ; an singuli Canonici eiusmodi lectioni adsint; an fiant collationes casuum conscientiæ; an in locis, in quibus sunt Clerici, extra studia sint aliquæ lectiones, quibus erudiantur in ijs, quæ ad illorum officia erunt scitu necessaria.

Octauò bonorum temporalium administrationẽ, circa quæ interrogabunt, an fideliter illa, & prudenter administrentur; an fiant sumptus inutiles, in conuiuijs, aut secularibus recipiendis; an seculares in locis Monasteriorum detineantur cum illorum detrimento; an Prælati per se ipsos immediatè bona Monasteriorum administrent; an sint in Monasterio ratiocinatores, seù computorum Reuisores; an singulis saltèm mensibus libros computorum, & introitus, atque expensas examinent, an Prælati bona mobilia, & immobilia frequenter visitent; an Monasterium aliquas graues lites habeat, & quo tépore,

pore, & à quibus illæ ſint inchoatæ; an iura Monaſterij diligenter defendantur; an ſcripturæ, & archiuum diligenter cuſtodiantur.

Altera ſeries perſonarũ has perſonas præſertim continebit; primò Viſitatores anni anteacti, circa quos inquirent; an anno præterito ſuo munere diligenter functi fuerint; an eiuſmodi interrogationes fecerint; an odio, vel alia cauſa ducti aliquem grauauerint; an præter taxas illis debitas aliquod munus ab aliquo acceperint.

Secundò Prælatam loci, circa quem interrogabunt, an verbo, & exemplo talis ſit, qualem Conſtitutiones requirunt; an diuinis officijs, & communi refectioni cum alijs frequenter interſit; an aliqua re particulari præter communem vſum Congregationis in victu, aut veſtitu vtatur; an infirmos frequenter viſitet, & ope, ac medicamentis iuuari procuret; an neceſſaria ſubditis quoad victũ, & veſtitum præbeat; an aliquem in ſuo Monaſterio ſcandaloſè viuere in habitu, & cõuerſatione patiatur; an regularẽ diſciplinã in Monaſterio faciat ſeruare; an cum grauitate manſuetudinem erga omnes ſeruet.

Tertiò Vicarium, circa quem inquirẽt, an conditionibus, & qualitatibus iuxta noſtras Conſtitutiones requiſitis præditus ſit; an ſuo muneri præſertim circa ea, quæ ſpectant ad ſeruitium Chori, & Eccleſiæ, diligenter ſatisfaciat.

Quartò Lectores ſtudiorũ, circa quos examinabunt, an ſint ſoliciti in ſcholaribus erudiẽdis; an ordinarias lectiones, & illarũ repetitiones abſque ne-

ceſſario

cessario impedimento intermittant; an illorum doctrina sit solida, & vtilis, & præsertim circa Theologos, an in profitendo viam D. Thomæ sequantur.

Quintò Scholares, circa quos requirent, an studijs literarum pro viribus incumbant; an lectionibus, repetitionibus, & disputationibus asiduè intersint; an sint aliqui scientijs speculatiuis, vel ei facultati, cui operam dabunt, minus idonei.

Exinde circa Oeconomum, Procuratorẽ, & alias personas de ijs, quæ ad cuiusque officium spectabunt inquirere poterunt, ac demùm de tota familia in capite, & membris, an in Monasterio regularis disciplina ab omnibus obseruetur; an sit aliquod malum, vel scandalum, cui necesse sit occurrere: quòd si graue aliquod delictum, vel scandalum perpetratum fuisse ex huiusmodi generalibus Inquisitionibus deprehensum fuerit, aduertant Patres Visitatores, illos specialem inquisitionem, & processum desuper conficere de nouo oportere, testes iterum examinando, reum conueniendo, & alia oportuna, seruato iuris ordine quoad substantialia, exequẽdo.

Caueant autem diligenter ipsi Visitatores, ne depositiones, quas contra quamlibet personam, siuè Canonicum, siuè Conuersum fieri cõtinget, aliquo pacto verbo, vel scripto reuelent, præterquam Abbati Generali, aut Visitatoribus; aliàs si nomina, vel cognomina deponentium reuelabunt scripto, voce, vel signo, per annum ab officio Visitationum suspendantur.

De

De modo terminandi viſitationes. Caput LI.

PEracta viſitatione, abſolutòque Generali examine, ſi quid reformatione opus habere deprehenſum fuerit, ipſi Viſitatores communi conſenſu, & matura deliberatione de remedijs opportunis decernent. Si verò in aliquo decernendo non conſentiant, tertium eligant, & ſibi in decernendo adiungant, & illud pro rato habeatur, & fiat, quod à duobus fuerit definitum. Decreta verò, quæ pro reformatione fieri continget, in ſcriptis redigant, & illorum copias authenticas Prælatis locorum relinquant.

Studeant autem inprimis charitati, & concordiæ tùm inter ſe, tùm inter alios ſiuè ſubditos, ſiuè Prælatos, & etiam Prælatorum auctoritati, & apud ſubditos æſtimationi, ac reuerentiæ quantum fieri poterit, ſeruandæ, & augendæ. Ac demùm ne ex nimia viſitationum prorogatione Monaſteria non leuia detrimenta ſuſtinere cogantur, ipſas viſitationes quàm citiùs poterunt, nitantur explere: quare prædictis omnibus abſolutis iterum Capitulum conuocabunt, & ſingulorum culpis auditis iuxta antiquam conſuetudinem noſtram, maior ex Viſitatoribus vnicuique ſalutarem pœnitentiam imponat. Si verò ob defectum peculiarem culpabilem, aut ſcandalum perpetratum alicui particularis pœna im-

na imponenda erit, in Capitulo coram omnibus publicari, & imponi debebit. Similiter Decreta, quæ pro morum reformatione facta fuerint, publicè in Capitulo legenda erunt.

Omnibus deinde genuflexis fiat generalis cõfessio, & à maiori Visitatore generalis absolutio. Postea cunctis surgentibus, & sedentibus vtilis sermo de regulari obseruantia, & spirituali profectu ab eodem maiori Visitatore habeatur. Demùm vterque eorum singulos Canonicos, & Conuersos ad pacis osculum recipientes cum Dei benedictione discedant, ad alia loca profecturi.

Si verò præter generalem visitationem, casus cõtingat, ob quem aliquod Monasterium particulari visitatione indigeat, ea toties fieri debebit, quoties ipsis Patribus Visitatoribus necessaria visa fuerit.

De subsidio Abbati Generali, & Visitatoribus pro viaticis exhibendo. Caput LII.

QVia necesse est, Abbatem Generalem, & Visitatores, tùm in itineribus, tùm in alijs rebus necessarijs, plures sumptus facere, ne propter huiusmodi sumptus aliqua Monasteria nimium grauari contingat; præcipitur, vt singula Monasteria pecuniarum quantitatem siuè pro Abbate Generali, siuè pro quolibet Visitatore in Capitulo Generali à Patribus Diffinitoribus taxatam,

vel

vel pro tempore taxandam ipsis Abbati Generali, & Visitatoribus absolutis visitationibus statim persoluant. Si autem aliquod Monasterium casu aliquo tantam iacturam temporalium bonorum fecerit, vt ratam ipsum tangentem soluere non possit, de communibus cōtributionibus totius Congregationis supplenda erit; quod etiam fieri debebit in alijs omnibus expensis, quas pro communi causa totius Congregationis fieri oportebit.

Abbas Generalis, & Visitatores modesto, & cōuenienti famulatu, & equitatu contenti sint, & studeant visitationes quam celerrimè absoluere; ea tamen maturitate, vt si alicubi pro vtilitate Monasteriorum spirituali, vel temporali aliquod remediū adhibere necessarium sit, nō prius à loco discedant, quàm omnibus diligenter inspectis, opportunum remedium adhibuerint. Pręter taxam præscriptam nihil omninò ab aliquo exigant, neque dono oblatum accipiant, siuè nomine Monasterij, siuè alicuius particularis personæ illud donetur, neque inutilibus sumptibus Monasterijs sint graues. Contrafacientes ad restitutionem teneantur, & in generalibus Capitulis grauissimè puniantur.

Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares rationes officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vsus, quàm ratione officij sui necessarios, quidquam expendant. Cum ve- Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 11.

rò contigerit ipſos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & ijs, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM REGVLARIVM

ORDINIS SANCTI AVGVSTINI, Congregationis Saluatoris Lateranensis.

PARS TERTIA.

De Generali Capitulo singulo triennio celebrando. Caput I.

IVxta Constitutionem Sacri Concilij Lateranensis, & antiquam Ordinis consuetudinem, statuimus, vt generale Capitulum totius Cõgregationis singulo triẽnio celebretur Locus verò, in quo celebrari debebit, nisi Abbati Generali, & Diffinitoribus aliter ex causa legitima visum fuerit, erit Monasterium nostrum Sanctæ Mariæ in Portu Ciuitatis Rauennæ; si autem alibi celebrandum erit, in Dieta ipsum Capitulum immediatè præcedente huiusmodi locus statuendus erit. Tempus celebran- c. in singulis de statu monac.

di Generale Capitulum erit Dominica tertia, poſt Paſcha Reſurrectionis. Ideò qui generali Capitulo intereſſe debebunt, Sabbatho immediatè præcedenti ipſam Dominicam tertiam poſt Paſcha Reſurrectionis in loco, vbi illud celebrandum erit, legitimo impedimento ceſſante, omnes perſonaliter adeſſe debebunt: non tamen ante illud tempus, ne Monaſterium, in quo ipſum Capitulum celebrari debebit, ſuperfluis expenſis nimium grauetur, exceptis Abbate Generali, & Viſitatoribus Congregationis.

Omnes in Capitulo generali votum habentes, teneantur ad illud debito tempore perſonaliter conuenire; qui autem ſine legitimo impedimento nō conuenerint, per Patres Diffinitores grauiter puniantur, ſi quis ob legitimum impedimentum ipſi Capitulo intereſſe non poterit, eiuſmodi impedimentum per ſuas literas ſignificare teneatur; & ſi ſit Prælatus alicuius Monaſterij, per ſocium capitularem, vel alium reſignationem ſui regiminis eidem generali Capitulo in ſcriptis mittat, vt per illos eiuſmodi reſignatio in ipſo Capitulo generali fieri poſsit. Fungatur tamen propria auctoritate Prælati tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, donec nouus loci Prælatus acceſſerit, vel aliquem loco ſui miſerit, vel alicui per ſcripturam vices ſuas commiſerit, & hoc ſemper ſeruetur ſiuè dum generale Capitulū celebrabitur, ſiuè Dieta, ſiuè Prælatus ipſe regimen reſignauerit, ſiuè illius officiū ob expletum triēnium ſui regiminis vacauerit.

Nullus

Nullus in Capitulo generali votum non habens absque licentia speciali Abbatis Generalis ad illud accedat. Sed nec Abbas Generalis absque vrgenti necessitate eiusmodi licentiam alicui concedat; excipiuntur Conuersi, quos Prælati pro suis seruitijs secum ducent. Prædicatores verò, Lectores, vel studentes ad conciones, & publicas disputationes habendas quotquot necessarios viderit, aduocare possit. Canonici tamen in Capitulo generali votum non habentes si ex aliqua causa rationabili ad illud vocentur, ad tractatus, qui in ipso Capitulo fient, non admittantur sine licentia eiusdem Capituli generalis.

Si postquam Prælati locorum è Monasterijs discesserint ad Capitulum generale profecturi, casu vrgentis necessitatis occurrat, ob quem necesse sit aliquem ad ipsum generale Capitulum ire, non tamen sine literis Vicarij, vel Capituli ipsius Monasterij vadat, aliòquin tanquam fugitiuus puniatur, nisi Diffinitorium causam illius accessus probauerit. Idem seruetur cum cæteris omnibus sine licentia Abbatis Generalis, ad generale Capitulum accedentibus.

De

De ijs, quæ à Prælatis fieri debent, antequam è suis Monasterijs discedant, ad Capitulum Generale profecturi. Caput II.

QVilibet Prælatus ad Capitulũ generale profecturus suum Monasteriũ circa spiritualia, & temporalia, in hunc modum prius disponat. Per aliquot dies antequam è Monasterio discedat, Capitulo congregato, suum discessum omnibus significet, & illos vt diuinum auxilium ad ipsum generale Capitulum rectè celebrandum assiduè precibus implorent, pro viribus adhortetur, Moneat etiam, vt singuli recogitent, si quid habeãt, quod pro Dei gloria, vel pro publica totius Congregationis, vel particulari alicuius personæ, aut loci vtilitate ipsi Capitulo generali in Domino significandum videatur. Si Abbas Generalis, vel Visitatores aliqua Decreta tempore Generalis Capituli seruanda illi dederint, vel transmiserint, publicè legi faciet, & Vicario, aut Proprælato ab ipso relinquendo, iuxta præscriptum Constitutionis secundæ partis in Capitulo de Vicarijs in fine, vt ea seruari faciat, coram omnibus tradet, cui Vicario, seu Proprælato curam totius Monasterij saltèm in spiritualibus tradet, donec expleto Capitulo ipse, vel alius ad Monasterium regendum redierit. Præcipiet etiã vt tres Missæ antequam Generale Capitulũ inchoetur,

tur, conuentualiter cantentur, prima de Spiritu sancto, secunda de Beata Virgine, tertia de D. Patre Augustino cum collectis pro Prælatis, & Congregationibus, vel pro pace in Congregatione seruanda.

Deindè cùm Vicario, & ratiocinatoribus singulas Monasterij officinas, & omnem illius supellectilem cum inuentario visitabit, incipiendo ab Ecclesia, & Sacristia, & singula cum ipso inuentario cõferendo, vt videatur, an aliquid in inuentario adnotatum desit, & singula particularibus officinarũ præfectis coram Vicario, & ratiocinatoribus resignando. Ipsum autem generale inuentarium apud Vicarium remanebit. Visitabit exinde omnia deposita coram eisdem Vicario, & Ratiocinatoribus, quæ in pecunia numerata boni põderis, & valoris in manibus Depositarij resignabit, & ab ipso Depositario singrapham quantitatis, & qualitatis eorundẽ depositorum apud ipsum relictorum accipiet, illius & Ratiocinatorum subscriptione firmatam, quam ad generale Capitulum ferre debebit, & clauem alteram capsæ depositorum, quam ipse Prælatus tenere solebat, Vicario resignabit.

Ea etiam, quæ post rationes pro alenda familia in annum sequentem solent relinqui, cum eisdem Vicario, & Ratiocinatoribus videbit; siuè pecuniæ sint, siuè granum, vinum, & oleum, siuè aliud simile. Et omnium, ac singulorum quantitate, & qualitate adnotata Oeconomo, aut alijs Monasterij officialibus resignabit, singrapha illorum, & Ratiocinatorum manu subscripta, ab eis accepta, quam

simi-

ſimiliter ad generale Capitulum ferre debebit. Poſtea libros rationum, ſeù computorum Monaſterij cum eiſdem ratiocinatoribus diligenter examinabit, omnes introitus, ſeù prouentus, exitus, & expenſas ſingillatim perpendendo, ex quibus libris ſummam, vulgò capſam appellatam, tàm introitus, & prouentus, quàm exitus, & expenſas diſtinctè, & fideliter continentem, manu ratiocinatorum firmatam accipiet ad generale Capitulum deferendam, & deputatis per ipſum Capitulum exhibendam.

Mercatores, & apothecarios, qui merces, vel cibaria Monaſterio præbere ſolent, coram eiſdem ratiocinatoribus accerſiri faciet, & factis computis, ſi quid eis ſoluendum erit, ſtatim perſoluet, & ſingrapham veræ ſolutionis, & quietationis illorum, & ratiocinatorum manu ſubſcriptam accipiet, generali Capitulo deferendam, & deindè Prælato, qui illi in regimine ſuccedet reſignandam, & ad propriũ Monaſterium reportandã, & inter ſcripturas ipſius Monaſterij regiſtrandam.

De eligendo ſocio capitulari ad generale Capitulum mittendo. Caput III.

IN quolibet Monaſterio, vbi ſeptem Canonici conuentualiter degent, eligatur vnus Canonicus à Capitulo Monaſterij, quem cum Prælato ad

ad generale Capitulum mittat, quique in ipso generali Capitulo vocem habeat in omnibus electionibus, & determinationibus, quas per ipsum generale Capitulum fieri continget. Eligendus in sociũ capitularem sit Sacerdos, & de gremio Capituli, à quo eligetur, carens canonico impedimẽto, propter quod eligi non possit, prudens, & sani consilij, bonis moribus ornatus, & idoneus ad negocia, quæ publicam totius Congregationis vtilitatem spiritualem, & temporalem respicient, in ipso generali Capitulo tractanda. Quamuis autem absentes vocem actiuam in huiusmodi, & alijs electionibus habere non possint, vocem tamen passiuam concurrentibus alijs requisitis, habere poterunt.

Electio socij capitularis à Dominica prima Aduentus, vsque ad Vigiliam Dominicæ Natiuitatis generale Capitulum proximè præcedentis inclusiuè fieri debebit. Qui intra illud tempus eligere noluerint, vltra illud ad huiusmodi electionem minimè procedent: vt tamen propria malitia non valeat alicui prodesse, si Prælatus noluerit intra illud tempus Capitulum congregare, vt ad electionem deueniatur, expletis Vesperis Vigiliæ Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi Vicarius, aut eo absente, vel nolente maior de Capitulo ipsum Prælatum adibit, & videbit, an velit congregare Capitulum ad socium eligendum; & si Prælatus noluerit, tunc, & eo casu ipse Vicarius, vel maior de Capitulo (vt præfertur) ipsum Capitulum cógregabit iuxta morem solitũ,

 & sic

& sic Capitulum ad huiusmodi electionem deueniet, seruatis in reliquis seruandis, & dummodo electio aliter fuerit legitimè facta, taliter electus habeatur pro legitimè electo, & vocem habeat in Capitulo generali in omnibus, vt supra In huiusmodi verò electione Prælatus Monasterij, nec vocē passiuam, nec actiuam habebit, nec ipse, nec alius quiuis Canonicus, aut Conuersus procurabit verbo, scripto, aut nutu, vt aliquis in socium capitularem eligatur, sub pœnis contra practicantes infra in capitulo sexto statutis. Vicarij verò locorum, etsi in electione socij capitularis vocem actiuam habeant, vocem tamen pasiuam non habebunt, cum oporteat, illos tempore generalis Capituli ad Monasteria in absentia Prælatorum regenda, in ipsis Monasterijs residere.

Si contingat, eum, qui intra prædictum tempus electus fuerat, ante generale Capitulum ex hac vita migrare, alius eligi poterit, etiam extra illud tempus: si autem electioni de se factæ aliquis renunciauerit, vt alius eligatur, intra prædictum tempus quod curret intra Dominicā primam Aduentus, & Vigiliam Natiuitatis Domini inclusiuè, alius loco eius eligi posit: extra illud tempus, nullus alius loco illius eligatur.

Munus socij capitularis erit, nomine proprij Capituli, ipsi generali Capitulo interesse in omnibus tractatibus, electionibus, & deliberationibus, & in illis votum suum dare, iura proprij Monasterij, & Capituli pro viribus tueri, literas eiusdem Ca-

pituli, aut particularium illius personarum generali Capitulo, Patribus Diffinitoribus, alijsque Prælatis, & Iudicibus directas, fideliter ferre, & negocia proprij Monasterij, & personarum de dicto Monasterio sibi commissa secundùm Deum fideliter tractare.

In electione socij capitularis talis modus seruetur; scribantur per aliquem, qui non sit de gremio Capituli cedulæ, in quarum singulis sint nomina omnium Canonicorum eligibilium in socios capitulares, quæ quidem cedulæ tot numero esse debebunt, quot erunt Canonici de gremio Capituli existentes, in qualibet etiam cedula singula nomina Canonicorum eligibilium triplicata scribi debebunt, tali pacto, vt singula nomina ex dicta cedula per se excidi posint, vt si prima electio canonica non fuerit, ad secundam, & tertiam procedi posit; huiusmodi autem cedulis sic scriptis Prælatis congregato Capitulo, cuilibet canonico propriam cedulam distribuet, exciso prius nomine illius Canonici, cui quælibet cedula distribuetur, quod nomen in principio eiusdem cedulæ scribendum erit, ne quis sibi ipsi votum, & suffragium ferre posit. Cedulis autem sic distributis, quilibet ex propria cedula secretò excipiet nomen illius, quem in socium capitularem eligere voluerit, & plicatum, itaut tunc legi non posit, deferet publicè ad mensam coram Prælato positam, & propria manu reponet in vase ad hoc super mensa præparato. Delatis autem omnibus votis, Prælatus aduocatis duobus, vel tribus

ex maioribus de Capitulo coram omnibus faciet ſcrutinium votorum, & ſi quis canonicè electus inuentus fuerit, itaut duas ex tribus votorum partibus obtinuerit, pronuncietur pro electo, ſi verò electio canonica non fuerit, ad ſecundam electionem eodem modo deueniatur; & ſi neque ſecunda, canonica fuerit, ad tertiam pari modo deueniendum erit. Facta tertia electione ille pro electo habeatur, & pronuncietur, qui plura vota obtinuerit, etiam ſi vno cæteros ſuperauerit. Si autem plures paria vota obtinuerint, is pro electo habeatur, qui ſit antiquior habitu in Religione.

Facta huiuſmodi electione ſinguli de Capitulo exiſtentes proprias cedulas à Prælato illis datas, cōplicatas, itaut legi non poſsint, ſtatim in vnum locum deferant, & cum ſuffragijs collatis coram omnibus ibi comburantur; vt libertas in electionibus, & pax fraterna ſeruetur; idque ſub pœnis contra practicantes infra ſtatutis.

De ijs, quæ à Prælato, & ſocio capitulari ad generale Capitulum ferri debebunt. Caput IV.

QVilibet Prælatus vt in Capitulo generali propriæ adminiſtrationis rationem reddere poſsit, hæc ad Capitulum generale ſecum ferre debebit; primò ſummam, ſeù capſam omnium

omnium reddituum, & expensarum cuiuslibet anni propriæ administrationis ex libris computorum fideliter extractam, & manu ratiocinatorum subscriptam: secundò summam omnium depositorum in Monasterio relictorum, depositarij, & ratiocinatorum manu similiter subscriptam; tertiò summam omnium creditorum, & debitorum proprij Monasterij præsertim quæ sub illius regimine facta fuerunt eodem modo subscriptam; quartò singraphas mercatorum, & apothecariorum, ex quorum apothecis Monasteria dietim merces, vel cibaria accipere solent, illorum, & ratiocinatorum manu similiter subscriptas.

Nomina etiam omnium Canonicorum, & Conuersorum, & totius familiæ in libello descripta secum feret, adnotatis cuiusque ordine, statu, & conditionibus, vt Patres Diffinitores cuiusque statum, & conditionem scire, & vnicuique oportunè prouidere posint. Ferat etiam paruum sigillum Monasterij, & eam pecuniarum quantitatem, quæ sufficiat pro expensis, quæ fient in eundo ad generale Capitulum pro se ipso, & socio capitulari, & in subsidio præstando ipsi Monasterio, in quo generale Capitulum celebrabitur, & etiam in redeundo, & reducendo nouum Prælatum; attentâ in omnibus illius ætate, & dignitate.

Socius capitularis ferat literas proprij Capituli, per quas significetur electio de illius persona canonicè facta, & quod firmum, & ratũ habebunt quidquid in Capitulo generali secundùm Deum, fuerit

defini-

definitum. Eiusmodi autem literæ, per aliquem existentem de gremio Capituli,& sigillo Monasterij scribi, & signari debebunt; quas literas socius capitularis, cum primùm ad generale Capitulum accesserit, Patribus Diffinitoribus, aut Notario generalis Capituli præsentabit, neque antequam easdẽ literas, vt præmittitur, præsentauerit, ad ferendum votum in Capitulo generali admitti posit. Si autẽ vltra prædictas literas Capitulum Monasterij communi cõsensu aliquid generali Capitulo significare voluerit, id fiat per alias literas distinctas,& subscriptas propria manu singulorũ, qui tales literas scribere voluerint, idque semper seruetur cum aliquis literas Abbati Generali, vel Diffinitorio, vel alijs quibuscunque scribere voluerit. Literas verò accusatorias, aut infamatorias scribentes contra quascũque personas, pœnis in secunda parte statutis irremissibiliter puniantur.

De subsidio pro expensis generalis Capituli à singulis præsentando. Caput V.

NE Monasterium, in quo Capitulum generale celebrabitur, nimijs expensis grauetur, sed quisque suum onus in partes diuisum leuius ferat, singuli ad generale Capitulum conuenientes certam portionem pecuniæ in generali Capitulo per Diffinitorium pro tempore taxã-

dam

dam soluant ipsi Monasterio, in quo generale Capitulum celebrabitur. Eiusmodi pecuniæ colligendæ aliquis ex nostris Canonicis per Vicarium Generalem deputetur, qui in libro ad hoc spiritualiter parató summam, & quantitatem à singulis acceptã scribat, & illam postea Diffinitorio exhibeat qui nõ soluerit integrè pecuniam per totã diem Lunę proximè sequentis, soluat duplum, & de cætero non habeat vocẽ in illo Capitulo. Eiusmodi pecuniæ portionem Abbas Generalis, & Visitatores, qui ratione officiorum annuas præstationes habent, pro se ipsis, & eorum socijs, famulis, & equis, quos secum ducent, ex dictorũ præstationibus soluere debebunt. Prælati verò habentes administrationẽ pro se ipsis, & socijs capitularibus, famulis, & equis, quos secum ducent, ex pecunijs propriorum Monasteriorum ratam illos tangentem soluent. Pro Prælatis verò non habentibus administrationem, & illorum Conuersis, seù famulis, & equis, si illi Diffinitores extiterint, illorum Prouinciæ summam eos tangentem soluent. Si autem ob publica seruitia toti Congregationi exhibita priuilegio decorati fuerint, ratam illos tangentem tota Congregatio ex communibus contributionibus soluet. Si àutem non fuerint Diffinitores, neque sic priuilegiati, illorum Monasteria nationalia pro portione illos tangente soluere debebunt,

Prælati administrationem habentes, præter sociũ capitularem, vnum tantùm Conuersum, aut si maluerint, famulum secularem, & totidem equos ad gene-

generale Capitulum ducere poſsint. Vbi verò ſocius capitularis electus non fuerit, Prælati aut Conuerſum, aut famulum ſecularem, & duos tantùm equos ducere poſsint, & ſimiliter Prælati adminiſtrationem non habentes. Nullus præter Abbatem Generalem, & Viſitatores, & illos, qui antea Abbates Generales extiterunt Conuerſum, & famulum ſecularem ad Capitulum generale ducere poſsit: cæteri, quos ad generale Capitulum ire continget, ſoli, & ſine equis ibunt.

De non procurandis ſuffragijs. Caput VI.

QVia nullus debet honores ſibi aſſumere, niſi tanquam Aaron à Deo vocatus, ideò iuxta antiquam Ordinis conſtitutionem ſtatuitur, vt nullus ſiuè Canonicus, ſiuè Conuerſus votum alterius quærat adulatione, verbo, aut quacunque promiſsione ſiuè per ſe, ſiuè per interpoſitam perſonam, ad effectum obtinendi aliquod regimen magnum, vel paruum, aut etiam mittendi, vel eundi ad Capitulum Generale, ſub pœnis contentis in dec. fel. rec. Clem. PP. VIII. confirmatis per ſanctiſsmum D.N.D. Vrbanum PP. VIII. ſebſequentis tenoris.

Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tàm pro ſe ipſis, quã pro

pro alijs, tùm in Capitulis locorum, tùm in cæteris, præsertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seù alibi: quicũque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur. Super quo cum eis dispẽsari à nemine posit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad cõplices, & simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Quòd si Conuersi huic Constitutioni contraire præsumpserint, habitu professionis priuentur per quatuor annos, à qua pœna, nec etiam Abbas Generalis, valeat dispensare. Quisque verò per duos contestes, vel tres testes bonæ famæ conuinci posit.

De nonnullis tempore generalis Capituli inuiolabiliter seruandis. Caput VII.

FEria sexta immediatè præcedente inchoationem Capituli generalis in loco, vbi Capitulum celebrabitur, Missa solemnis canteiur de D. Patre Augustino, & exposito sanctisimo Sacramento Eucharistiæ publica oratio inchoetur. Canonici bini, & bini maioribus incipientibus singulis horis coram eodem sanctisimo Sacramento

genuflexi assistant, Sabbatho sequenti Missa solemnis cantetur de Beata Virgine. Die verò Dominica, quæ erit tertia post Pascha Resurrectionis Missa solemnis de Spiritu sancto cantabitur, cui tàm Abbas Generalis, & Visitatores, quàm cæteri omnes Prælati, & alij in Capitulo existentes interesse debebunt.

Toto tempore Capituli omnes diuinis Officijs die, noctùque intersint: silentium in Dormitorio, & Refectorio statutis horis ab omnibus seruetur. Ad mensam non tumultuariè, & confusè, sed modestè, & ordinatè omnes accedant: in mensa, & in Capitulo, & in omnibus alijs locis suo ordine stent, vel sedeant. Contrafacientes per Priorem claustralem corripiantur, & si non emendauerint, faciant publicè disciplinam in Refectorio tempore communis refectionis. In sero tempore conuenienti fiat signum dormitionis, secundùm morem consuetũ, quo signo facto singuli siuè Prælati, siuè subditi, sine comitatu, ac strepitu cum silentio in suas cellas se recipiant sub pœna contrafacientibus comedendi in terra in Refectorio pro qualibet vice. Non ferantur ientacula in Dormitorium, nec ibi omninò fiant sub pœna faciendi pro qualibet vice disciplinam in Refectorio tempore communis refectionis. Prior claustralis diligenter curet hanc constitutionem executioni demandari.

De

De ingressu Generalis Capituli, & ordine in sessionibus seruando . Caput VIII.

DOminica tertia post Pascha Resurrectionis post dictam Nonam signo facto cum campanula, omnes ad locum pro Capitulo celebrando paratum accedentes cum modestia, & grauitate in suis locis secundùm ordinem maioritatis, & minoritatis inter illos seruandum sedebunt. Porrò in huiusmodi, & alijs omnibus sessionibus, & publicis conuentibus, & actibus hic ordo maioritatis, & minoritatis inter nostros Canonicos seruabitur. In primo, & digniori loco sẽper stabit Abbas Generalis tanquã Pater, & Caput totius Congregationis, post Abbatem Generalem stabunt quatuor Visitatores, duo à dexteris ipsius Abbatis generalis, & duo à sinistris iuxta ordinẽ maioritatis, itaut per ordinem maiores stẽt à dexteris, & minores à sinistris. Inter ipsos autem Visitatores si quis aliàs extiterit Abbas Generalis, is omnes alios Visitatores præcedet; si autem plures ex Visitatoribus fuerint Abbates Generales, ille præcedat, qui sit antiquior habitu in Congregatione. Si nullus ex Visitatoribus Abbas Generalis aliàs extiterit, illi per ordinẽ præcedent, qui erunt antiquiores habitu in Congregatione. Post Visitatores in primo loco stabit Prælatus Monasterij, in quo Generale Capitulum celebrabi-

brabitur, deindè illi omnes, qui Abbates Generales, vel Viſitatores alias extiterant, deindè alij omnes Prælati, inter quos maioritas ex ſola prioritate ſuſceptionis habitus Religionis attendi debebit, ſiuè actualem adminiſtrationem exerceant, ſiuè non exerceant, cùm dignitas det locum non adminiſtratio, itaut ille maior cenſeatur, qui prius habitum Religionis ſuſceperit, quocumque titulo Prælaturæ nuncupetur. Poſt Prælatos ſtabunt priuilegiati non Prælati, poſt priuilegiatos ſedebunt cæteri in ipſo generali Capitulo votum habentes, inter quos ſola prioritas, & maioritas ex prioritate ſuſceptionis habitus erit attendenda. Et hic ordo ſeruari debebit à noſtris Canonicis in omnibus alijs conuentibus, actionibus, & locis, excepto quòd Prælati in proprijs Monaſterijs omnes alios præcedẽt, præter Viſitatores quando viſitationes actualiter exercebunt. Proprælati tamen etiam in ſuis Monaſteris ipſos Prælatos forenſes ſiuè adminiſtrationem habentes, ſiuè non habentes, nullo modo præcedant.

Omnibus igitur ſic per ordinem cum ſilentio ſedentibus Abbas Generalis, aut alius de ipſius mãdato, breuem aliquem, & efficacem ſermonem habebit de diuino auxilio, & gratia S. Spiritus implorando, de moribus reformandis, & regulari diſciplina inſtauranda, de pace, & concordia in Congregatione ſeruanda. Et abſoluto, qui votum in Capitulo non habebunt, ſtatim recedent, illis ſolis remanentibus, qui votum, ac ſuffragium in ipſo Capitulo daturi erunt, quos omnes Scriba, ſeu Notarius

tarius

tarius publicus Congregationis ex cedula, quam ſcriptam in manibus habere debebit, nominatim aduocabit. Qui aderunt, vocati reſpondebunt: qui verò non aderunt, ſigno aliquo notabuntur, vt numerus vocalium, qui præſentes erunt conſtare poſſit.

Omnibus deindè genuflexis ante ſacram Imaginem fiat breuis oratio, Abbate Generale incipiente Pſalmum, Ad te leuaui oculos meos, & cæteris proſequentibus cum Gloria Patri in fine, dicto deindè, Pater noſter, & reliqua ſecretè proſequendo; ipſe Abbas Generalis dicat verſiculum, Et ne nos, &c. alijs reſpondentibus, ſed libera nos, &c. Verſiculus, Saluos fac ſeruos tuos. Reſp. Deus meus ſperantes in te. Verſ. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. Reſpon. Et de Sion tuere nos. Verſ. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis. Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. Verſ. Domine exaudi, & Dominus vobiſcum. Oratio. Mentes noſtras quæſumus Domine paraclitus, &c. in fine, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Hic mos orandi ſeruetur quotidie antequam de quacunque re in Capitulo Generali tractetur.

Regu-

Regulæ generales in electionibus seruandæ. Caput IX.

IMplorata sancti Spiritus gratia ad electiones deueniendum erit, in quibus faciendis, sequẽtes Regulæ inuiolabiliter seruari debebunt, & primò in electione quorumcunque Superiorum, Conc. Tri. sess 25 de regul. c. 6. siuè Abbatum Generalium, siuè Vicariorum, & Visitatorum, Prælatorum, Officialium, & aliorum quorumcunque: vt omnia rectè, & sine vlla fraude, & liberè secundùm Deum peragantur, ipsæ electiones fiant per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec publicari posint, aliàs electiones sint nullæ.

Electiones ita sint liberæ, vt nullus metu, vel humano respectu adduci posit ad aliquem eligendũ, & electores ipsi cum in vnum locum conuenerint, in quo electiones fieri debebunt, inuocata Spiritus sancti gratia personas idoneas eligant, ita liberè, vt semper quamdiu ad actualem electionem ventum non erit, valeant propositum, prout ipsis videbitur in melius mutare.

c. Bonæ mem. de electione. Nullus votum habens in electionibus per malitiam, & contemptum emittatur aliòquin electionẽ infringere valebit.

Electiones omnes tã Abbatis Generalis, & Procuratoris Generalis, quàm Visitatorum, Diffinitorum, Superiorum, & aliorum quorumcunque, qui

ad

ad gradus, dignitates, & officia eligendi erunt, nec-non sociorum capitularium, tàm in Capitulis, & Dietis generalibus, quàm in Capitulis particularibus, alijsque Congregationibus, in quibus electiones huiusmodi fieri solent, canonicè fiant, & nemo verè electus, neque electio de eius persona facta valida censeatur, nisi duæ ex tribus votorum ipsorum eligentium partes interueniant; aliàs irritæ sint, & ad secundam electionem deueniatur. Quòd si neque prima, neque secunda electiones huiusmodi canonicè factæ fuerint, tunc, & eo casu volumus, vt ad tertiam electionem deueniatur; & ille electus censeatur, qui plura suffragia reportauerit, etiamsi in vno cæteros superauerit. Si facta tertia electione plures paria vota obtinuerint, neque alter alterum superauerit, tunc, & eo casu, nè electores frustrà laborauerint, & Congregatio suo capite, & alijs Prælatis, & Officialibus destituta remaneat, inter plures paria vota obtinentes ille pro electo habeatur, qui sit antiquior habitu in Congregatione.

Paulus V. in breui edito anno 1615.

In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sac. Conc Trid. & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurétq; Electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electiones deueniatur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum legendæ erunt. Qui contra aliquam personam excipere voluerit, antequam ad electionem faciendam deueniatur, excipere valebit, facta verò electione

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 36.

ad

ad excipiendum nullo modo admittatur.

Nati ex illegitimo thoro ad officia, gradus, & dignitates eligi non possint, nisi specialem dispensationem obtinuerint, vel à Sede Apostolica, vel à Capitulo generali ad præscriptum Constitutionis Sixti Quinti, & moderationis Gregorij Decimiquarti, iuxta quam moderationem Diffinitorium non poterit per se cum aliquo super illigitimitate dispensare, ad effectum consequendi officia gradus, & dignitates, in nostra Congregatione, sed huiusmodi dispensatio toti Capitulo generali erit reseruata; quam ipsum generale Capitulum cum nullo intelligatur fecisse, vel facere, nisi prius exposito eidem Capitulo vero impedimento eiusmodi illegitimitatis, duæ saltèm ex tribus partibus dicti Capituli facto secreto scrutinio votorum cum illo duxerint dispēsandum; aliàs tàm dispensatio, quàm electio de persona eiusmodi impedimentum illegitimitatis habente similiter facta, nullæ sint, & ad nullum effectum sic electo valeant suffragari.

Ad officia, gradus, & prælaturas personæ eligantur, quæ Regulam, & Ordinis Constitutiones valeant obseruare, præsertim quæ ad seruitium Chori & Ecclesiæ, & communem victum, atque vestitum spectabunt; nullusque ad aliquod munus, regimen, aut officium eligi possit, qui ijs requisitis præditus non sit, quibus sui regiminis, aut officij munera per se ipsum laudabiliter valeat exercere.

Greg. XIII. ann. 1581. Eligendi ad publica, & generalia officia, ac regimina totius Congregationis non solùm sacris literis,

teris, & probatis moribus exornati, & nullius delicti infamia notati, verùm etiam prudentia, & sacrarum literarum ſcientia præ cæteris inſignes, & eminentes eſſe debebunt.

Nullus verò, qui aliquod prædictorum officiorũ generalium, Abbatis ſcilicet Generalis, Viſitatoris, & Diffinitoris, in Diffinitorioq; iuxta Ordinis conſtitutiones ſuffragium tulerit, poſſit immediatè iterum, & de nouo ad aliquod prædictorum officiorũ, & ad vota ferenda in prædicto Diffinitorio, eligi, & admitti, niſi poſtquam aliquod prædictorum officiorum exercuerit, & vota vt ſupra in Diffinitorio tulerit, per ſex annos immediatè ſubſequentes à voto ferendo in Diffinitorio vacauerit, aliàs electiones factæ contra formam præſentis Decreti ſint ipſo facto nullæ; excipiuntur autẽ illi, qui non ad aliquod prædictorum officiorum exercendum, ſed tantummodo ad complendum numerum nouenariũ Diffinitorum ad ſuffragia ferenda in Diffinitorio iuxta conſtitutiones noſtras in locum quomodocunque deficientium fuerint ſubrogati. Dec. Cap. Gener. Bonon. celebrat. anno D. 1627.

Ad prælaturas non eligantur, neque de cætero promoueantur, qui non ſint literis exornati, iuxta Ordinis conſtitutiones aliàs electio ſit nulla.

Cùm æquum ſit, & rationi cõſentaneum, vt qui ſub eadem regula militant, & æqualiter onera ſuſtinent, æqualiter honoribus, & prælaturis gaudeant, Abbatiæ, & aliæ prælaturæ Congregationis cũ vacabunt, Canonicis cuiuſcũque nationis meritis ſuffultis, abſque aliqua nationum, & perſonarum exceptio-

ptione, vel acceptione aſsignentur, & ad eas Canonici virtute, ac meritis præſtantes, & idonei dumtaxat eligantur.

Vt in Diffinitorio æqualitas votorum reſpectu omnium Prouinciarum, & nationum ſeruetur; in quolibet Capitulo generali, ex qualibet Prouincia vnus Diffinitor aſſumatur, & eligatur, qui ſimul cũ quatuor Diffinitoribus anni præcedentis numerum nouem Diffinitorum conſtituent, & totum Diffinitorium complebunt; qui numerus Diffinitorum interuenire debebit in omnibus electionibus, & determinationibus faciendis in Capitulo generali, & in dietis.

Paul. V. Breue ann. 1606.

Electiones omnes Prælatorum ſiuè in Capitulo generali, ſiuè in dietis ita neceſſariò per nouem Diffinitores prædictos ſemper fieri debebunt; vt ſi aliquis eorum deceſſerit, aut abſens, vel infirmus, ſeù aliàs impeditus fuerit, cæteri ex dictorum nouem Electoribus alium eiuſdem Congregationis canonicum idoneum eorum arbitrio, quorum ſuper hoc conſcientiam oneramus, in defuncti, abſentis, infirmi, vel aliàs impediti locũ ſufficere poſsint.

Clemente VIII. Breue editum an. 1598.

De electione Vicarij generalis. Caput X.

OMnibus igitur in Capitulo generali votum habentibus ſic, vt præmiſſum eſt, congregatis, Abbas Generalis electionem Vicarij Gene-

Generalis faciendam esse intimabit, qui toto tempore generalis Capituli, vsque dum nouus Abbas eligatur, ipsi generali Capitulo præsit. Eligendus verò in Vicarium Generalem Sacerdos professus nostræ Congregationis, & de gremio generalis Capituli, sacris literis exornatus, rerum gerendarum experientia probatus, & prudentia, ac morum grauitate insignis esse debebit, & illius Prouinciæ, ex qua Abbas Generalis assumendus erit.

In electione Vicarij Generalis talis modus seruabitur, singuli existentes de gremio Capituli scribent, vel scribi facient (non tamen ab aliquo alio existente de gremio Capituli) nomina eorum, quos ad officium Vicarij Generalis eligendos iudicauerint, secundùm veritatem vniuscuiusque conscientiæ, nomen tamen proprium eligentium tacendo, hoc pacto, videlicet; Ego eligo in Vicarium Generalem R.P.D. de tali Patria, siuè Natione. Caueant autem nè huiusmodi cedulas, vel ab aliquo existente de gremio Capituli accipiant, vel alijs scribant; sed quisque per se, vel aliquem non existentem de gremio Capituli, illas ita secretò scribat, vt iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini eligentium nomina nunquam publicari posint. Quilibet etiã scribat, vel scribi faciat in cedulis nomina eorum, quos ad officium Vicarij Generalis eligendos iudicauerit, triplicata, vt si prima electio canonica non fuerit, ad secundam, & tertiam deueniri posit, cedulis autem ita scriptis quisque ferat per se ipsum nomen illius, quem in Vicarium Generalem eli-

gere voluerit in cedula ita plicata, vt tunc minimè legi possit, & ipsum ponat in altero ex duobus vasculis super mensa posita ante Abbatem Generalẽ, & Diffinitores, existentibus. Omnibus autem votis delatis, & singulis Canonicis ad suas sedes reuersis, Abbas Generalis, cum quatuor Visitatoribus vota sic collata scrutabuntur, & si aliquem canonicè electum repererint, Abbas Generalis coram Capitulo generali illius electionem pronũtiabit. Si verò electio non fuerit canonica, dicat nullum electum fuisse; & ad secundam electionem deueniatur. Si autem neque secunda electio canonicè facta fuerit; ad tertiam simili modo deueniendum erit, & tunc facta tertia electione ille pro verè electo censendus, & pronuntiandus erit, qui plura vota obtinuerit, etiamsi in vno cæteros superauerit, si autem plures paria vota obtinuerint, facta tertia electione ille pro electo habeatur qui fuerit maior, & antiquior habitu in Congregatione.

Facta electione Vicarij Generalis, & absque alia solemnitate per Abbatem Generalem pronunciata, electus coram ipso Abbate Generali statim genuflexus, & se ipsum orationibus patrum plurimum cõmendãs, officium sibi commissum omni excusatione postposita promptè acceptabit, & ab ipso Abbate Generali eleuatus in eius loco sedebit. Ipse autem Vicarius Generalis ita electus toto tempore generalis Capituli cum omni reuerẽtia, ab omnibus pro Patre, & capite totius Congregationis habendus erit, donec ad electionem noui Abbatis Generalis

deuenia-

deueniatur. Ad ipsum spectabit cum consilio aliorũ Diffinitorũ Sacerdotes deputare ad cõfessiones Canonicorum, & Conuersorum in Capitulo generali existentium audiendas; nullusque confiteri poterit, nisi Sacerdotibus per illum deputatis. Postquam autem nouus Abbas Generalis electus fuerit, vel eosdem confirmabit, vel alios pro suo arbitratu deputabit.

De renũciatione regiminum, & prælaturarum coram Vicario Generali per Abbatem Generalem, Visitatores, & alios Prælatos facienda. Caput XI.

Vicario Generali ita electo, & in suo loco sedente Abbas Generalis ante illum statim humiliter genuflectens proprij regiminis officium resignabit, præsentando, ac tribuendo eidem Vicario Generali Regulam, & Constitutiones nostri Ordinis, librum quoque gestorum, Capituli generalis, & dietarum, & sigillum nostræ Congregationis; qua renũciatione per Vicarium Generalẽ recepta, de omnibus culpis circa proprij regiminis executionẽ admissis se ipsum humiliter accusabit; deinde iubente Vicario Generali surgens apud illũ à sinistris sedebit. Postea Visitatores per ordinẽ maioribus incipientibus coram eodem Vicario Generali genuflexi propria officia pariter resignabunt,

& sic

& sic deinceps cæteri omnes Prælati monasteriorũ facient, de suis culpis circa propria officia, & regimina admissis se ipsos pariter accusantes. Qui postquam officijs, & prælaturis renuntiauerint, omnes ordinatè sedebunt iuxta ordinem maioritatis, vel minoritatis ex priore susceptione habitus Religionis attendendum; quod etiam in alijs locis, & monasterijs in tota Congregatione seruari debebit, præcedentibus tamen semper Sacerdotibus eos, qui fortè Sacerdotes non essent, etiamsi illi habitum Religionis prius suscepissent.

De electione Diffinitorum Capituli generalis. Caput XII.

Diffinitores Capituli generalis semper nouẽ esse debebunt. Primus erit ipse Vicarius generalis vsque ad electionem noui Abbatis generalis exclusiuè. Post Vicarium Generalem primus erit Abbas Generalis triennij præcedentis. Deindè quatuor alij noui Diffinitores statim eligi debebunt singuli ex singulis Prouincijs, ea excepta, ex qua Abbas Generalis assumendus erit. Hi erunt etiam Visitatores Congregationis toto triennio sequenti, vsque ad celebrationem noui Capituli generalis, qui cum Vicario Generali nouum Diffinitorium constituent; quibus alij quatuor maiores ex Diffinitoribus triennij immediatè præcedentis adiuncti videlicet Abbas Generalis, & tres ex ma-

ioribus Visitatoribus triennij præcedentis numerũ nouem Diffinitorum complebunt. Qui numerus, integrum Diffinitorium constituet, & in omnibus determinationibus, & electionibus, quæ in Capitulo Generali, vel in diet.s per Diffinitorium fient semper interuenire debebit.

Eligendi in Diffinitores, seù Visitatores has conditiones habere debebunt, oportebit enim illos esse Canonicos nostræ Congregationis professos, & Sacerdotes de gremio Capituli existentes, qui saltèm per triennium fuerint Prælati in nostra Congregatione, & in administratione prælaturæ se se laudabiliter gesserint, vitæ, & morum integritate conspicui, literis præsertim scholasticis exornati, vt spectantia ad reformationem studiorum rectè valeant exequi, & exercere; & in causis Regularium ita instructi, ac versati, vt proprij officij munera, laudabiliter per se ipsos exercere possint; In huiusmodi verò electionibus modus, & forma in electione Vicarij Generalis præscripta seruetur, ac iuxta Regulas generales in electionibus seruãdas, vt supra Cap. IX. descriptas.

Diffinitorum officium erit, quascũque personas de nostra Congregatione errantes, ac delinquentes iuxta illarum excessus, corrigere, & punire, in rebelles, & inobedientes censuras ecclesiasticas promulgare, & incorrigibiles, & alios grauiter delinquentes ad perpetuos carceres, vel etiam ad triremes deputare, sicut in nostris priuilegijs habetur. Ad ipsos etiam spectabit, particularium monaste-

riorum,

riorum, & personarum absentium literas generali Capitulo directas legere, & in eis contenta diligenter examinare, & quoscunque voluerint audire etiã illos, qui de familia monasterij, in quo generale Capitulum celebrabitur existent, omisso tamen generali examine familiæ. Culpas etiam Prælatorum, & aliorum quorumcunque audire, & illorum defectus iustè, & misericorditer corrigere.

Ad illos spectabit electio omnium Prælatorum, Confessariorum monialium, & Prædicatorum nostræ Congregationis, & similiter admittendos ad habitum Religionis siuè Canonicorum, siuè Conuersorum probare, & deligere, nullusq; nisi à Diffinitorio probatus, & delectus ad habitum nostræ Congregationis recipi poterit, & receptus statim à Congregatione eijci, & qui illum receperit, à prælatura deponendus erit, nec poterit super huiusmodi cum aliquo dispensari.

Spectabit etiam ad eosdem Diffinitores nonnullos Iudices ex Canonicis de gremio generalis Capituli existentibus constituere ad cognoscendum in causis ciuilibus, & criminalibus personarum de nostra Congregatione existentium, & ad videndas rationes, seù computa totius administrationis temporalis singulorum monasteriorum. Qui tamen Iudices si quid reformatione dignum inuenerint, ipsis Patribus Diffinitoribus referre debebunt, vt ab illis opportunum remedium adhibeatur.

In Monasterijs tamen de nouo acceptandis, aut dimittendis, vel nouis constitutionibus condendis,

vel antiquis, & præſentibus, aut quas in poſterum per generalia Capitula fieri continget mutandis, & alijs ſimilibus, quæ ad totum Generale Capitulum ſpectare dignoſcuntur, non poterunt ipſi Diffinitores etiam omnibus conſentientibus per ſe ipſos aliquid diffinire, ſed in eiuſmodi diffinitiuam ſententiam ipſius Capituli generalis expectare debebunt.

De eligendo publico Notario Capituli generalis. Caput XIII.

EX Viſitatoribus ſic electis vnus in publicum Notarium totius Capituli generalis, & Congregationis ab ipſo generali Capitulo eligendus erit, cuius quidem Notarij ſic electi ſcriptis plena fides in omnibus ad Congregationem ſpectantibus intra ipſam Congregationem iuxta Apoſtolicum priuilegium adhiberi debebit. Ad ipſum verò ſpectabit, acta generalis Capituli fideliter, ac diligenter ſcribere, diſtinctè notando ea, quæ per totum generale Capitulum fient, & diſtinctè alia, quæ per ſolum Diffinitorium, vel per alios Iudices, aut officiales à Capitulo, & Diffinitorio conſtitutos fieri, ac decerni continget. Illius etiam munus erit, omnes literas Capitulo generali, ſeù Diffinitorio præſentatas legere, & in eis contenta, quæ alicuius momenti erunt, per modum memorialis

Pauli II. concell anno 1464. 18. Ian.

adnotare,& toti Diffinitorio examinanda exhibere; eiſdem literis nomine generalis Capituli, vel Patrũ Diffinitorum reſpondere, copias Conſtitutionum editarum à Capitulo generali omnibus poſcentibus præbere, & demum omnia acta, & ſtatuta per generale Capitulum, vel per Diffinitorium facta, antequam ipſum Capitulum generale abſoluatur, coram omnibus legere.

Quæcunque verò per generale Capitulum, vel per Diffinitores in Capitulo generali, vel dietis acta & diffinita erunt, in libro ad hoc ſpecialiter præparato per ipſum Notarium fideliter, integrè, & per ordinem regiſtrari debebunt, ac etiam quæcunque alia, quæ in particularibus Congregationibus, ſeù Conuentibus ad totam Congregationem ſpectantia fieri continget, iuxta ordinem temporum ipſorum geſtorum. Eiuſmodi autem liber apud Abbatem Generalem ſemper manebit, quem ne vitiari, vel abradi, aut alio modo deprauari contingat, ipſe Abbas Generalis inprimis curare debebit. Ne verò caſu aliquo contingat, ipſum librum apud Abbatem Generalem exiſtẽtem deperdi, alterum eiuſdem libri authenticum exemplum fiat, illudq; proprium in aliquo publico Archiuo Congregationis ſeruetur.

Singuli etiam Iudices à generali Capitulo, vel Diffinitorio conſtituti, vt inferius dicetur libellos eorum, quæ per illos decerni, & fieri continget diligenter conficiant, & in eis ſingula geſta, decreta, & ſententias diſtinctè, & per ordinem ſcribant,

eoſque

eosq; absoluto, generali Capitulo in manibus ipsius Notarij publici Congregationis relinquant.

De Priore claustrali, & œconomo generalis Capituli. Caput XIV.

QVia Vicarium Generalem, ac cæteros Diffinitores necesse erit circa plurima ad cómunem vtilitatem, & reformationem Congregationis spectantia occupari, Vicarius Generalis cum consilio Diffinitorum aliquem ex Patribus de gremio eiusdem generalis Capituli existentibus moribus, & ætate grauem eligat, illumq; reliquis Canonicis, & Conuersis tàm Monasterij, in quo Capitulum celebrabitur, quàm totius præfati Capituli præficiat; qui Prior Claustralis vocetur, eique omnes in Capitulo generali existentes, Diffinitoribus exceptis, humiliter obediant, & primum locum super omnes, Diffinitoribus similiter exceptis, tenet ipse Prior Claustralis toto tempore generalis Capituli, diuinis officijs die noctuq; interesse studeat, & vt alij omnes legitimo impedimento cessante intersint, exemplo, & mandato, cùm opus fuerit, solicitè procuret. Silentium statutis horis seruari faciat, præsertim in Dormitorio, & in mensa communi, cui semper interesse debebit, & absentibus Diffinitoribus in primo loco mensæ Superioris stabit. Qui domi egredientur, ab illo benedictionem, & licentiam accipere debebunt, non ta-

men in præſentia Diffinitorum aliquam iuriſdi-ctionem exercebit.

Vicarius Monaſterij, in quo generale Capitulũ celebrabitur ipſius prioris clauſtralis Vicarius erit, & in eius abſentia culpas ſubditorum ſui Monaſterij publicè audire poterit; ſtabit etiam ſuper omnes Canonicos durante ipſo Capitulo generali, & benedictionem, ac gratiarum actionem in menſa faciet ſicut prior clauſtralis.

Qui verò authoritas prioris clauſtralis tantummodo circa ſpiritualia, non autem circa temporalia ſe extendet. ab ipſo Vicario Generali cum conſilio Patrum Diffinitorum alius Canonicus fidelis, prudens, & diſcretus in œconomum totius generalis Capituli eligendus erit; ad illum verò ſpectabit ſolicitè procurare, vt omnibus in Capitulo exiſtentibus Canonicis, & Conuerſis, famulis, & equis neceſſaria ad victum, & accubitum oportunè cum charitate, & humanitate miniſtrentur. Ad ipſum etiam pertinebit; pecunias à ſingulis Capitulo generali interuenientibus pro rata ſingulos tangente ſoluendas colligere, & ſingulorum ſoluentium nomina, & quantitatem pecuniæ ſolutæ in libellò diſtinctè adnotare, & ſic notata Diffinitoribus exhibere: ipſas verò pecunias ſic collectas Monaſterio, in quo Capitulum celebrabitur, tribuere debebit, aut in ſolutionem debitorum occaſione eiuſdem Capituli contractorum conuertere, iuxta voluntatem Patrum Diffinitorum.

De

De quibuſdam Iudicibus in Generali Capitulo conſtitũendis. Caput XV.

QVò faciliùs citiùſque negocia Generalis Capituli tractari, & expediri poſsint, præter Diffinitores, qui totius Congregationis ſupremi erunt Iudices intra ipſam Congregationẽ, quidam alij Iudices per ipſum Diffinitorium creari debebunt, ac inprimis tres ſaltèm Iudices ad cauſas ciuiles audiendas conſtituendi erunt, qui lites, & cauſas inter Monaſteria, & perſonas noſtræ Congregationis cognoſcere, & debito fine valeant terminare; reſeruata nihilominus ipſis Diffinitoribus facultate, huiuſmodi ſententias moderandi, corrigendi, aut etiam caſſandi, prout illis videbitur magis expedire.

Tres quoque Iudices ad cauſas criminales cognoſcendas conſtituent, cum facultate, ipſas iudicialiter per diffinitiuam ſententiam terminandi, exceptis cauſis grauioribus ſoli Diffinitorio reſeruatis, ac etiam reſeruata ipſis Diffinitoribus facultate huiuſmodi ſententias corrigendi, confirmandi, aut etiam infirmandi, & caſſandi; quas ſententias, tàm ipſi, quàm alij Iudices ad cauſas ciuiles deputati antequam publicent, Patribus Diffinitoribus probandas exhibebunt.

Alios etiam Iudices deputabunt ad computa, ſeù ratio-

rationes, & administrationes temporales singulorũ Monasteriorum diligenter examinandas, coram quibus locorum Prælati, & etiam Procurator Generalis Romanus, & Venetus totius administrationis temporalium bonorum particularium Monasteriorum, & pecuniarum totius Congregationis exactã, rationem reddere debebunt.

Deniquè ipse Generalis in quolibet proximo Capitulo generali saltèm coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis vniuersam suæ administrationis tàm publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

Dec. Clem. PP. VIII. de Refor. Reg. 13.

Supradicti Iudices qualibet die mane, & vespere cum Diffinitores congregabuntur, statutis in locis ad sua munera exercenda conuenire debebunt. Singulis autem officijs singuli Conuersi, vel etiam plures pro ostiarijs deputentur ad eos vocandos, quos ipsi Iudices vocandos duxerint.

Constituent etiam Depositarium, apud quem locorum Prælati pecunias, quas pro viaticis ex proprijs Monasterijs detulerunt, deponent. Vt autem singulorum deposita facilius agnoscantur, singuli deponentes proprium nomen, qualitatem, & quantitatem pecuniarum depositarum in cedulis descripta cum ipsis pecunijs tradent, ac cum ipsis pecunijs quilibet Prælatus sigillum proprij Monasterij ipsi Depositario præbebit.

De

De ijs, quæ in generali Capitulo tractanda erunt, & qualiter grauia negocia in eodem Capitulo determinari debebunt. Caput XVI.

QVæ hactenus dicta sunt, ipsa prima die inchoati generalis Capituli, si possibile fuerit, omninò absoluenda erunt, vt diebus sequentibus negocijs in Capitulo tractandis, ac determinandis Patres faciliùs incumbere possint, quibus diebus mane, & vespere tùm Diffinitores, tùm cæteri officiales in suis locis semper congregari debebunt. Quæ verò in generali Capitulo tractanda erunt, ea præsertim sunt, quæ morum reformationem, & disciplinæ regularis instaurationem, nec nō totius Congregationis spiritualem, & temporalem vtilitatem respiciunt, in quibus tractandis talis ordo poterit seruari, vt in primis Vicario Generali cum cæteris Diffinitoribus simul congregatis legantur literæ Capitulo generali, vel Diffinitorio directæ, habitàque super singulis in eis contentis matura deliberatione, quid respondendum sit, per ipsos Diffinitores decernatur, & per Notarium generalis Capituli adnotetur.

Singulos deindè locorum Prælatos, ac cæteros Canonicos, & Conuersos, prout illis videbitur, ipsi Diffinitores aduocari facient, & de singulorum Monasteriorum statu tàm circa spiritualia, quàm circa

temporalia diligenter inquirent, nec non de cuiusque Canonici, aut Conuersi vita, moribus, & conditionibus: & si quid animaduersione dignum repererint, Notarius in particulari schedula adnotabit, vt circa illud conueniens tractatio, & deliberatio fieri posit; absoluto verò examine Vicarius Generalis, aut ipse Notarius singula proponet, circa quæ aliquid deliberandum erit. Habeatur verò circa vnaquamque rem propositam matura tractatio, & deliberatio, ipso Vicario Generali singulos Diffinitores interrogante, singulis verò modestè, & sine vlla prorsus contentione sententiam proferrentibus. Quæ per ipsos Diffinitores decerni poterunt, ab illis definiãtur, quæ verò ad totum generale Capitulum spectare dignoscuntur, ipsi generali Capitulo decernenda proponent, & reseruabunt.

Vt autem deliberationes, & determinationes, quæ per generale Capitulum fieri debebunt, postposito omni metu, & humano respectu liberiores secundùm Deum fiant, in huiusmodi deliberationibus hic modus seruari debebit; proposita per Vicarium, vel Abbatem Generalem, seù quemcunque alium ipsi generali Capitulo quacunque re, super qua deliberandum erit, habitàque circa rem conuenienti tractatione, duo ex Canonicis de gremio Capituli accipient de mensa Diffinitorum vascula, in quorum altero erunt signa fabarum, vel alterius materiæ alba, & nigra, singulis de gremio Capituli existentibus præbenda; in altero verò colligent vota singulorum, quæ quisque secretò per se ponet in

ipso

ipſo vaſculo, & ſignum album ponetur pro parte affirmatiua, nigrum verò pro negatiua. Omnibus autem votis ſic collectis, aperto vaſe coram toto Diffinitorio, fiet ſcrutinium votorum, & illud firmiter teneri debebit, & pro certo, ac definito, quod à maiori parte Capituli per huiuſmodi ſecretum ſcrutinium votorum fuerit approbatum, & obtentum, ſicut dictum eſt in ſecunda parte Capitulo trigeſimoprimo, hic modus deliberandi, & definiendi, de quibuſcunque rebus per Capitulum Generale definiendis, ſemper, & neceſſariò erit ſeruandus, prout dictum eſt in ſecunda parte loco citato, ad quod habeatur relatio.

De electione Abbatis Generalis. Caput XVII.

HIs peractis, quæ ad Ordinis reformationem, & inſtaurationem ſpectare videbuntur, die Iouis poſt horam nonam, omnibus de gremio Capituli exiſtentibus de more congregatis, Vicarius Generalis admonebit, vt ad electionem Abbatis Generalis deueniatur; omneſq; efficaciter hortabitur, vt eum eligant, quem ad tale munus obeundum magis dignum, & idoneum ſecundùm veritatem cuiuſque conſcientiæ iudicabunt. In electione verò ipſius Abbatis Generalis modus, & forma, quæ in electione Vicarij Generalis præſcribitur ſeruari debebit, pręmiſſa priùs oratione genib⁹ flexis

& litanijs ad diuinum auxilium implorandum deuotè recitatis.

Eligendus in Abbatem Generalem has præsertim conditiones habere debebit, vt nimirum sit Sacerdos nostræ Congregationis professus, qui saltem per viginti annos vixerit sub obedientia ipsius Congregationis, quique per sex annos fuerit Prælatus, & in suo munere se laudabiliter gesserit; nullius delicti infamia notatus; prudentia, & rerum gerendarum experientia, morum grauitate, & vitæ probitate, & sacrarum literarum, ac eorum omniũ, quæ ad suum munus laudabiliter exercendum necessaria erunt, scientia optimè probatus, & præ alijs eminens, & insignis.

Facta electione ipsius Abbatis Generalis, Vicarius Generalis illam toti Capitulo denunciabit, nomen tamen electi reticendo, donec in Ecclesia solemniter publicetur; statim verò omnes in Monasterio existentes bini, & bini processionaliter ad Ecclesiam procedentes per ordinem in suis sedibus stabunt, omnibusq; silentibus Notarius Capituli generalis ante maius Altare constitutus mandante Vicario Generali ipsam electionem sic solemniter publicabit: primò intonabit versiculum. Adiutorium nostrum in nomine Domini; & responso per Chorum, Qui fecit Cælum, & Terram. voce alta, & intelligibili ita prosequetur. Ego D.N. de tali patria auctoritate Sedis Apostolicæ, & vigore priuilegiorum nostræ Congregationi à Sede Apostolica indultorum, nomine totius Capituli nostri Generalis

ralis eligo, & electum pronuncio in Abbatem Generalem totius Congregationis, & Ordinis nostri Reuerendissimum Patrem D.N.de tali Patria, quibus dictis, omnes respondebunt. Deo gratias. Publicata verò electione, ipse electus humiliter genuflectens per Vicarium Generalem, vel maiores ex Diffinitoribus eleuetur & ante medium altaris maioris per illos ducatur (vbi prostratus officium suum ac se ipsum ex corde Christo Domino comēdabit) Choro interim de more canente Hymnum, Te Deū laudamus. Et cum ibi aliquantulum orauerit, per eosdem maiores Diffinitores eleuatus ad Chorum ducatur, & in sede maiori collocatus, ac sedens regimen sibi commissum omni excusatione postposita sũcipiet; Vicarius Generalis, vel maior ex Diffinitoribus Regulam, & Ordinis Constitutiones, & sigillum Congregationis illi præbendo dicat. Accipe Reuerendissime Pater Regulam, & Constitutiones nostri Ordinis, quas ipse, quantum humana fragilitas patietur, obseruabis, & ab alijs obseruari cum omni solicitudine procurabis: Accipe etiam sigillum Ordinis nostri, & custodi gregem tibi commissum, vt cum illo accipias vitam æternam.

His omnibus de manu maioris Diffinitoris susceptis Abbas Generalis singulos Canonicos, ac etiā Conuersos ad osculum pacis recipiet, maioribus incipientibus, & coram eo genuflectentibus, & eius manum osculantibus, ac dicentibus pax tecum, ipso verò respondente, Et cum spiritu tuo. Demùm ha-

bita per aliquem Canonicum graui, & eleganti oratione, vel in laudem, & congratulationem personæ ad tale officium assumptæ, vel de partibus, & officio ipsius Abbatis Generalis omnes cum religiosa modestia ad locum generalis Capituli redibunt, & Vicarius Generalis, nisi fuerit electus in Abbatem Generalem, statim coram ipso Abbate Generali, officium Vicariatus in manibus illius resignabit, qui nihilominus durante ipso Capitulo generali, post Abbatem Generalem primum locum super omnes tenebit; votum tamen in Diffinitorio nullo modo habebit.

De electione Procuratoris Generalis, Caput XVIII.

Electo Abbate Generali eiusq; electione solemniter publicata, Procurator Generalis totius Congregationis, à toto Capitulo generali statim eligendus erit, iuxta modum, & formam superiùs traditam in electione Vicarij Generalis. Eligendus in Procuratorem Generalem, ex ipsa Prouincia, ex qua Abbas Generalis triennij immediatè præcedẽtis extiterat, assumẽdus erit, cuius istæ præsertim erunt conditiones; nimirũ debebit esse Sacerdos, saltèm per viginti annos in nostra Cógregatione professus, morib⁹ grauis, literis exornatus, valdè prudẽs, in reb⁹ agẽdis prouidus, qui saltèm per triẽniũ fuerit Prælatus alicuius Monasterij, & in

& in suo munere, ac regimine se laudabiliter gesserit; quique triennio immediatè præcedenti Abbatis Generalis officio minimè functus fuerit.

Ipsi Procuratori Generali sic electo, sicut etiam Abbati Generali; mandatum generale Procurationis iuxta formam in Congregatione consuetam fieri debebit, cum hac tamen clausula, eidem mandato specialiter inserenda, quod vigore dicti generalis mandati nihil agere possit, vel impetrare contra Constitutiones, & laudabiles consuetudines nostræ Congregationis; quæ clausula in omnibus mandatis generalibus, quæ per ipsum generale Capitulum fient quibuscunque personis, ponenda erit.

De electione Prelatorum singulorum locorum nostræ Congregationis. Caput XIX.

COnstituto per generale Capitulum publico, & vniuersali regimine totius Congregationis, ad electionem Prælatorum particulariũ locorum deueniendum erit; quæ quidem electio non ad totum Capitulum, sed ad solum Diffinitorium spectabit. Eligendi in Prælatos has præcipuè conditiones habere debebunt: nimirum erunt Sacerdotes nostræ Congregationis professi, qui saltèm annum quintumdecimum expleuerint in Cõgregatione, & per tres annos officium Vicariatus,

iuxta

iuxta modum traditum in ſecunda parte in Capitulo de Vicarijs, laudabiliter exercuerint in aliquo Monaſterio, in quo eligitur ſocius capitularis, & Horæ canonicæ in Choro conuentualiter quotidiè recitantur, vt ſupra in prima parte cap. 12. præſcriptum eſt, nullius criminis infamia notati, vel inquiſiti, de quo prius ſe ipſos canonicè non purgauerint, neque reddendis rationibus alicuius adminiſtrationis obnoxij, de legitimo thoro nati, virtute, & meritis ſuffulti, literis exornati, vt ſupra cap. 9. huius tertiæ partis præfinitum eſt, & tales, qu valeant Regulam, & Ordinis Cõſtitutiones præſertim quæ ſpectant ad officium Chori, & Eccleſiæ, & cõmunem victum, & veſtitum obſeruare, & ab alijs obſeruari facere, & ſui officij munera per ſe ipſos laudabiliter exercere; qui has conditiones non habuerint, in Prælatos eligi non poſsint.

Et quanquam prædictæ conditiones in omnibus ad prælaturas eligendis, debeant neceſſariò requiri: quia tamen non ſunt æqualia omnia regimina, Patres Diffinitores locorum, & perſonarum cõditionibus diligenter inſpectis, cuilibet Monaſterio illum præficiant, quem ad illud regendum magis idoneum iudicabunt: idq; præſertim in eligendis Prælatis Monaſteriorum, in quibus ſtudia literarum, vel Nouitiatus exiſtent, quæque Sanctimonialium curam adiunctam habebunt diligentiſsimè ſeruetur.

Et quia frequens mutatio Pralatorum de Monaſterio ad Monaſterium grauiſsima incommoda

spiritualia, & tēporalia ipsis Monasterijs afferre solet, iuxta antiquam Ordinis Constitutionem statuimus, vt qui semèl alicui Monasterio erit præfectus, integro triennio in regimine eiusdem Monasterij perseueret, neque durante huiusmodi triennio ad aliud Monasterium regendum, nisi ex grauissima, & necessaria causà transferri possit. Expleto verò triēnio proprij regiminis, quilibet Prælatus saltèm per integrum annum ab omni regimine, & administratione vacabit, nec poterit quouis prætextu, vel titulo in eodem Monasterio, vel alibi in ipso regimine, & administratione cōfirmari, seù prorogari, nisi ex speciali dispensatione Illustrissimi D. Cardinalis Protectoris, iuxta facultatem à Sanctissimo Domino Nostro sibi factam, de qua in literis in forma Breuis.

In electione omnium Prælatorum talis modus seruetur; quilibet ex nouem Diffinitoribus nomen illius, quem eligendum iudicauerit, & eligere voluerit, scriptum in cedula ita complicata, vt tunc minimè legi possit, propria manu ponet in vase super mensa coram ipsis Diffinitoribus præparato. Omnibus autem votis collatis, per ipsos Diffinitores fiat scrutinium ipsorum votorum, & quicunque canonicè electus inuentus fuerit, ita ut duas ex tribus ipsorum votorum partes obtinuerit, pro verè electo habeatur. Si autem prima electio canonica non fuerit ad secūdam pari modo deueniatur, quòd si neque secunda canonicè facta fuerit, ad tertiam similiter deueniatur. Facta tertia electione, ille pro

verè electo habeatur, qui plura vota obtinuerit, etiá si in vno cæteros superauerit: si autem plures paria vota obtinuerint, ille pro electo habeatur, qui sit antiquior habitu in Religione. Vt autem electiones secretè iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta fiant; Constitutio facta in generali Capitulo anni 1594. & omnibus votis per scrutinium secretum in ipso Capitulo generali obtenta obseruetur, in qua præcipitur, quòd in electione Prælatorum seruetur mos, & forma antiqua, super addendo, quòd cedulæ, siuè bollettini, quibus facienda erit electio, qui prius fiebant manu propria cuiuslibet Diffinitoris, inposterum fiant manu tantùm vnius, qui non sit de gremio Diffinitorij.

De modo eligendi Confessarios Monialium, Prædicatores, Reformatores studiorum, & publicos Examinatores. Caput XX.

QVi in Confessores ordinarios Monialium erunt deputandi, per Diffinitores eligendi erunt, per vota secreta iuxta modum, & formam traditam in Capitulo præcedenti in electione Prælatorum seruandam, conditiones eligendorum in Confessores ordinarios Monialium, ex secunda parte, in proprio capite de Confessarijs Monialium, peti debebunt.

Facta electione Confessariorum Monialium, ad

electionem Prædicatorum deueniendum erit. Eligendi in Prædicatores per Abbatem Generalē, vel alium ex Diffinitoribus toti Diffinitorio proponantur. Exhibeantur deinde ipsi Diffinitorio literæ testimoniales Reformatorum studiorum, & propriorum Prælatorum super requisitis eligendorum, & diligenter examinentur, vt videatur, an propositi re vera habeant requisita tā quoad mores, quàm quoad doctrinam. Si quis in aliquo ex requisitis defecerit, reijciatur, nec posit cum aliquo requisita non habēte super ipsis requisitis dispensari. Qui requisita habuerint, singuli Diffinitoribus proponantur, & circa singulos fiat secretum scrutinium votorum, qui duas ex tribus votorum partibus obtinuerit, pro electo habeatur; qui verò saltèm duas ex tribus votorū partibus, vt præmittitur, non obtinuerit, reiectus censeatur. Singuli verò per Diffinitorium sic electi, iterū toti Capitulo generali proponantur; & si maior pars Capituli consenserit, pro Prædicatoribus à tota Congregatione habeantur; sufficiatq; cōsensus ab ipso Capitulo viua voce præstitus, absque secreto scrutinio votorum. Conditiones eligendorū in secunda parte Capitulo de Prædicatoribus requirantur. Semel autem reiectus à Prædicatoratu iterum Patribus Diffinitoribus eligēdus minimè proponi posit, nisi saltèm per duos annos expletos in aliquo studio formali Sacræ Theologię studijs operam dederit, & ab Examinatoribus, seù Reformatoribus studiorum, præuio examine iterū probatus, suæ idoneitatis literas testimoniales eorum subscri-

 ptione,

ptione, & iuramento firmatas obtinuerint.

Demùm iuxta ea, quæ in secunda parte in Capitulo de Reformatoribus studiorum, & publicis Examinatoribus traduntur; tres saltèm Reformatores studiorum pro tota Congregatione, per ipsos Diffinitores eligi debebunt; nec non etiã publici Examinatores, ex qualibet Prouincia saltèm tres, qui per Diffinitorium electi, & per generale Capitulum, saltèm viua voca probati, in suis officijs ad beneplacitum ipsius Diffinitoris perdurabunt, quo cum maiori totius Congregationis profectu sua munera exercere possint. Abbas verò Generalis, & Visitatores semper in tota Congregatione Reformatores, & Examinatores censeri debebunt.

De distributione familiæ totius Congregationis. Caput XXI.

MVnus distribuendæ familiæ Congregationis per singula Monasteria, ad Abbatem Generalem, & quatuor Visitatores triennij anteacti præsertim spectabit, quippè qui singulorum locorum indigentias, & personarum qualitates nouerunt: in eiusmodi verò distributione illud in primis seruandum erit, vt in singulis Monasterijs, is tantùm constituatur personarum numerus, qui vel ex proprijs redditibus Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possit.

Dec. Clem. Pp. VIII. de ref. reg. 14.

possit.

posſit. Diſtributores familiarū vniuſcuiuſque Monaſterij familiam ita conſtituant, vt in omnibus pax, & charitas inter Prælatos, & ſubditos, & Regularis diſciplinæ obſeruantia, & cultus Eccleſiarum attendatur, & locorum, ac perſonarum conditionibus inſpectis quilibet ei Monaſterio deputetur, cui magis videbitur expedire.

Caueatur à frequentibus, & non neceſſarijs mutationibus, quæ non niſi ex cauſa vrgenti, ac neceſſaria fieri debebunt, cùm ex his Monaſteria inutilibus expenſis grauentur, & regularis diſciplina plurimum relaxetur. Canonici, qui annum ætatis ſexageſimumquintum expleuerint, vnum Monaſterium eligere poſsint, in quo dies ſuos quietè agāt, vel ſaltèm de loco conuenienti per Patres Diffinitores illis prouideatur.

Quilibet Prælatus antequam è Capitulo diſcedat, vel alter loco ipſius abſentis, cedulam familiæ proprij Monaſterij per Abbatem Generalem triennij anteacti regiſtratam, & illius manu ſubſcriptam, nec non ſigilli minoris Abbatis Generalis impreſſione ſignatam accipere teneatur. Singularum autem familiarum cuiuſlibet Monaſterij, Catalogus in libro particulari deſcriptus apud Abbatem Generalem pro tempore exiſtentem manere debebit.

De nonnullis priuilegijs Abbatum Generalium, Visitatorum, & Prælatorum, qui proprijs officijs renuntiauerunt. Caput XXII.

QVicumque officio Abbatis Generalis functus fuerit; si postea in Visitatorem eligatur omnes alios Visitatores præcedere debebit; si plures Visitatores Abbates Generales antea extiterint, illo præcedat, qui sit antiquior habitu in Religione. Si postquàm Abbas Generalis officio Generalatus renuntiauerit, nullum reginien habuerit, sit Prælatus de titulo, vocem actiuam, & passiuam habeat in omnibus Capitulis generalibus, & ad ipsa interuenire possit, & debeat, & cum illius consilio, quæ spectant ad regimen totius Congregationis tractentur: quem voluerit Sacerdotem nostræ Congregationis in Confessarium sibi eligere possit; & etiam vnum Conuersum, qui in omnibus ipsi inseruiet, in quem tanquam proprius illius Prælatus, omnimodam iurisdictionem habeat, cui Cõuerso per Prælatum loci, in quo exiltet in omnibus ad victum, & vestitum spectantibus prouideatur; positq; sibi deligere, quod voluerit Monasterium; in quo dies suos in Dei seruitio ducat.

Qui Visitatoratus officio functi fuerint, postquã eidem officio renunciauerint, si ad nullum regimen assumantur, similiter sint Prælati titulares, vocem

actiuam, & passiuam habeant in Capitulis generalibus, cæteros Prælatos extra illorum residentiam præcedant, Conuersum vnum sibi eligere possint, qui illis in omnibus inseruiat, & priuilegijs Prælatorum forensium gaudeant. Prælati, qui in aliquo Monasterio gesserint insignia pontificalia, cum à Prælaturis vacabunt, in eodem Monasterio reliquos Canonicos excepto loci Vicario præcedant. Ipsi Canonici prælaturis vacantes, in villis, vel alio modo extra claustra minimè commorentur, nisi sint officiales Monasteriorum consueti, ac necessarij, secus facientes à Patribus Visitatoribus tempore visitationum acriter corripiantur; teneantur etiam seruitio Chori; & Ecclesiæ, die, noctuq; interesse, aliàs ad gradus, officia, & dignitates in Congregatione obtinendas inhabiles erunt.

De absolutione Capituli generalis. Caput XXIII.

NE ex nimia generalis Capituli prorogatione tota Congregatio graue dispendium patiatur, curabunt inprimis Abbas Generalis, ac cæteri Patres, vt quàm citiùs fieri poterit, ipsum generale Capitulũ absoluatur, ita tñ, vt grauia negocia imperfecta minimè relinquantur, sed cũ debita maturitate tractentur; quã ob causam ipsũ generale Capitulũ saltẽ per duodecim dies durare debebit. Omnibus verò debito fine terminatis, toto

Con-

Conuentu congregato, Abbas Generalis ſingulis locorum Prælatis coram ſe genuflectentibus, literas patétes Capitulis ſuorum Monaſteriorum directas, nec non ſigillum Monaſterij, cum pecunijs pro viatico à prædeceſſoribus depoſitis, præbendo dicat, Accipe Pater inſignia officij, ac regiminis tui, & ſtude, vt gregis tibi commiſsi, ita curam habeas, quatenus cum eo vitam merearis æternam. In eiuſmodi autem literis patentibus, ſignificabit electionem de ſingulis canonicè factam, in Prælatos ſingulorum locorum, & Canonicos eorundem locorum, vt ipſis tanquam veris Prælatis in omnibus ſecundùm Deum obediant, admonebit.

Poſtea omnes de gremio Capituli exiſtentes, coram ipſo Abbate Generali genuflectentes, humiliter de conſuetis defectibus ſuis ſe ipſos accuſent. Ac deindè facta per illos generali confeſsione, ipſe Abbas Generalis faciat generalem abſolutionem, omnibus poſtea ſurgentibus, & cum ſilentio ſedentibus, breui ſermone ad votorum, & Regulæ, ac Cóſtitutionum noſtrarum obſeruationem efficaciter hortetur omnes, tùm communes totius Congregationis, tùm particulares locorum Benefactores, orationibus Fratrum plurimum commendet, & ante omnia Sanctiſsimum D N. Illuſtriſsimos DD. Cardinales Prælatos, & Principes orthodoxos, Statum Catholicæ Eccleſiæ, cæteros Religioſorum Ordines, & noſtram Congregationem; Catalogum quoque eorum, qui triennio præcedente ex noſtra Cógregatione defuncti erunt, coram omnibus legi faciet,

ciet, vt singulis debita fiant suffragia; pro quibus etiam die sequenti, in eodem loco generalis Capituli, solemnis Missa celebrabitur. Ac demùm, si ita Patribus placuerit, ipsum generale Capitulum absolutum pronunciabit; & sic data omnibus benedictione, singuli cum modestia discedent in nomine Domini, ac Saluatoris nostri Iesu Christi ad sua loca celeriter profecturi.

Qualiter Fratres de loco ad locum mitti debeant. Caput XXIV.

PRælati, cùm primùm post absolutum generale Capitulum, ad propria Monasteria peruenerint, cum gaudio, & charitate ab omnibus excepti Capitulum congregabunt: & literas Abbatis Generalis eidem Capitulo directas, publicè legi facient; eisq; lectis absque vlla dubitatione, vel mora pro veris, & legitimis Prælatis ab omnibus recipi, & timeri debebunt.

Postea si qui aderunt, ad alia Monasteria mittendi, eis significabitur, vt ad illa quamprimùm vadant. Nullus verò ad Monasterium, cui per obedientiam fuerit deputatus, ire recuset, aliàs pœna carceris, & alijs etiam grauioribus puniatur, ita vt discat obedire. Quilibet Canonicus, & Conuersus cum suis indumentis, & conuenienti supellectili mittatur, ne alteri Monasterio, ad quem mittetur grauis existat, nihil tamen secum feret, sine scien-

tia, &

tia, & licẽtia Prælati, ex cuius Monasterio discedet. Teneaturq; ipse Prælatus, aut Vicarius loci, ex quo quis discedet, Inuentarium totius supellectilis huiusmodi, quod quisque conficere debebit, & Prælato, siuè Vicario subscribendum exhibere, cum rebus descriptis conferre, & sic subscriptum Prælato loci, cui is erit deputatus, statim transmittere, qui illud seruet, & conferat cum ipsis rebus delatis. Qui plus, aut minus habuisse deprehensi fuerint, quàm in Inuentario scriptum erit, nisi rationem conuenientem reddiderint, voce actiua, & passiua per annum priuati existant. Prælati locorum, ex quibus Canonici, vel Conuersi discedent, teneantur eis præbere pecunias pro expensis, quas facient in eundo ad sua Monasteria, tàm pro ipsis, quàm pro conducendis rebus, quas secum ferent. Canonici nunquam pedestres incedant. Qui mittentur, singulas expensas, distinctè scribant, & pecunias, quæ superfuerint proprio Prælato resignent, alteri Prælato, ex cuius Monasterio discesserunt, fideliter restituendas. Cùm quis à Monasterio discedet, ad aliud profecturus cum benedictione literas patentes à Prælato, vel ab eius Vicario accipiat, in quibus scribatur quod tali die, ex tali Monasterio, cum debita licentia discessit, ad tale Monasterium profecturus; quas literas statim, vt ad aliquod Monasterium perueniet, loci Prælato, aut Vicario præsentabit. Quilibet verò in itinere quoad habitum, & cætera omnia Regulas in prima parte Capite trigesimoquinto præscriptas diligenter obseruet, & recto tramite ad proprium

Mona-

Monaſterium vadat; ſi quis à recto tramite deflexerit, habeat clauſtrum per ſex menſes, & faciat diſciplinam publicè in Refectorio.

Hoſpites noſtræ Congregationis, qui ex obedientia de loco ad locum mittentur, in noſtris Monaſterijs cum omni charitate, & humanitate excipiantur, & tractentur, & quæ ad hoſpitalitatem ſpectant exactè erga illos ſeruentur; non tamen vltra duos, vel tres dies, niſi ex cauſa neceſſaria alicubi morentur. Solus autem Abbas Generalis, & Viſitatores, tempore viſitationum, aliquem de Monaſterio ad Monaſterium transferre poſsint.

De Dietis celebrandis. Caput XXV.

IN annis, quibus Generale Capitulum non celebrabitur, Abbas Generalis vnam Dietam congregabit tum ad electiones Prælatorum faciendas, tùm ad publica totius Congregationis, & priuata particularium locorum negocia tractanda; & alia peragenda, quæ pro bono totius Congregationis fieri debebunt; locus in quo Dieta celebrabitur, erit locus reſidentiæ ipſius Abbatis Generalis, aut alius, quem ille magis idoneum iudicabit: tempus verò eidem Dietæ celebrandæ, oportunum erit Dominica quarta poſt Feſtum Dominicæ Reſurrectionis.

Ad Dietas hi neceſſariò conuenire debebunt, vi-

delicet, inprimis Abbas Generalis cum quatuor Visitatoribus, & alijs Diffinitoribus triennij præcedentis, per quos numerus nouem Diffinitorum vocalium iuxta dispositionem literarum Clementis Papæ Octaui, & Sanctissimi D. N. Pauli Quinti cōpleri debebit; necnon etiam Procurator Generalis totius Congregationis, & Abbas Sanctæ Mariæ Charitatis Venetiarum; & illi qui semel Abbates Generales extiterunt, quia secundùm antiquas Ordinis Constitutiones, ea, quæ ad regimen totius Congregationis spectant, cum illorum consilio, & interuentu tractanda sunt; aduocari etiam debebunt omnes qui semel fuerunt Visitatores, quia salus est, vbi multa consilia. Præter supradictos verò, alij ad Dietas vocandi non erunt, nisi ob causam grauissimam, & necessariam; nè inutilibus expensis tota Congregatio frustra grauetur. Poterit tamen ipsa Dieta tamdiu prorogari, donec quæ in illa erunt tractanda, commodè, ac debito fine valeant terminari.

Clem. VIII ann. 1602. Paul. V. 1606.

De modo eligendi Abbates, & Procuratores Generales, Visitatores, & Prælatos cum illorum officia extra tempus vacauerint. Caput XXVI.

Paul. V. an. 1615.

SI contingat durante triennio Abbatis Generalis illius officium per cessum, vel decessum aut alio quouis modo cessare, ille, qui ex Visita-

sitatoribus fuerit maior; qui scilicet Abbas Generalis aliàs extiterit, sin autem inter Visitatores nullus aliàs extiterit Abbas Generalis, tunc antiquior habitu; etiam si sit alterius Prouinciæ statim officio Vicarij Generalis, vsque ad proximam inde habendam dietam, seù proximum Capitulum generale fungatur. Et deinde in proxima sequenti Dieta, seù Capitulo, Abbas generalis vsque ad finem integri triennij prædicti, & non vltra eiusdem Prouinciæ, cuius Generalis antecessor extiterat, per eos, qui in dicta Dieta, seù Capitulo suffragium habere con-sueuerũt, eligatur die Sabbathi immediatè antecedente Dominicam, in qua Capitulum, seù Dieta initium sumit: sicq; electus ad officium huiusmodi Abbatis Generalis, etiam si vnica tantùm die in officio permanserit, omnibus, & singulis priuilegijs, indultis, exemptionibus, præeminentijs, prærogatiuis, & anelationibus gaudere debeat, ac si integro triennio officium Abbatis Generalis exercuisset.

Decedente Procuratore Generali, aut eius officio quouis modo cessante, antequam suum triennium compleuerit, alius ex eadem Prouincia ad complendum dictum triennium in Procuratorem Generalem eligatur, prout de Abbate Generali dictum fuit; & quousque dicta electio celebretur Visitator dictæ Prouinciæ Procuratoris Generalis officium vsque ad proximam inde habendam Dietam exerceat.

Similiter si aliquis ex Visitatoribus ante exple-

tum triennium proprij officij decesserit, vel eius officio intra ipsum triennium quouis modo cessante, alius ex eadem Prouincia eligendus erit in Dieta, vel in Capitulo generali Sabbatho immediatè præcedente Dominicam, in qua Dieta, vel generale Capitulum inchoari debebit, etiamsi sit in suo officio vnico tantùm die duraturus; illius autem electioni octo Diffinitores actualiter votum habentes, iuxta dispositionem literarum Sanctißimi Domini Nostri Pauli Quinti, necessariò interesse debebunt.

Si durante triénio cuiusuis Prælati alicuius Monasterij ipse Prælatus ex hac vita decedat, seù eius officium quouis modo cesset, Abbas Generalis in eius locum Vicarium, seù Locumtenentem, qui officio Prælati, seù Superioris huiusmodi vsque ad Dietam, seù Capitulum ex tunc proximè habendũ fungatur, constituere posit; & deindè in Dieta, seù Capitulo huiusmodi alius Prælatus, seù Superior in locum antecessoris per Abbatem Generalem, & Diffinitores prædictos eligatur. Electioque huiusmodi in Dietis, seù Capitulis generalibus vnà cùm aliorum Superiorum electionibus fiat.

De vitanda constitutionum multiplicitate, ac nouitate. Caput XXVII.

QVia nihil humanæ Reipublicæ magis perniciosum esse dignoscitur, quàm superflua, inutilisq; legum multiplicitas, ac immutatio, primùm quidem statuimus, vt post præsens volumen cõstitutionum tribus libris, siuè partibus distinctum nulla noua constitutio aliquam vim obtineat, nisi toti generali Capitulo proposita, matura deliberatione discussa, per secretum scrutinium votorum duabus saltèm ex tribus ipsorum votorum partibus consentientibus, ab ipso generali Capitulo approbata fuerit, & canonicè obtenta. Decreta verò, quæ pro bono regimine Congregationis iuxta varias temporum, & rerum exigentias per Patres Definitores, siuè in Dietis, siuè etiam in Capitulis generalibus fient, nisi fuerint in aliquo Capitulo generali, sicut præmissum est, canonicè obtenta cum auctoritate conditorum spirare intelligatur.

Aliæ quoque constitutiones siuè in Dietis, siuè etiam generalibus Capitulis, aliisq; Congregationibus editæ, & promulgatæ, quæ in præsenti volumine non comprehenduntur, cassatæ, & abrogatæ intelligantur, itaut omnes de nostra Congregatione ab illarum obseruatione inposterum absoluti cen-

censeantur. Constitutiones autem in præsenti volumine contentas omnes, & singuli de nostra Congregatione patres Canonici, & Conuersi ad vnguem seruent, & seruari procurent; expectantes à Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo omnium operum suorum condignam, & amplissimam retributionem.

FINIS.



INDEX
CAPITVLORVM,
SEV TITVLORVM
PRIMÆ PARTIS.

De totius Congregationis vnitate seruanda. Cap.1.pag. 1
De Regula, & Constitutione, et frequenti earum lectione, et meditatione. Cap.2 3
De habitu Canonicorum. Cap.3 5
De habitu Conuersorum, et Oblatorum. Cap.4 9
De tonsura clericali. Cap.5 10
De studio perfectionis, et cura interioris hominis. Cap.6 11
De abnegatione propriæ voluntatis, et perfecta obedientia. Cap.7 12
De affectu proprietatis abdicando, et communi vita seruanda. Cap.8 16

De

De castitatis, & sensuum custodia. Cap. 9 16
De Ecclesia, & Oratorio. Cap.10 18
De assiduitate orationis, et meditationis. Cap.11 20
Qualiter Diuinis Officijs in Choro, et in Ecclesia interesse oporteat. Cap 12 22
De modo terminandi dicta officia, et quotidianis Capitulis culparum. Cap.13 27
De Antiphona quolibet sero, et Litanijs quolibet Sabbatho in honorem Beatæ Virginis cantandis. Cap.14 29
De quibusdam festis in nostra Congregatione specialiter celebrandis: et commemorationibus faciendis. Cap.15 30
De Sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ frequenti susceptione. Cap.16 32
De Missarum celebratione. Cap.17 35
De Catalogo obligationum, et frequenti commemoratione Benefactorum nostræ Congregationis. Cap.18 36
De valetudinario, et cura infirmorum. Cap.19 38
De sepultura, et suffragijs Fratrum Defunctorum. Cap.20 41
De silentio. Cap.21 43
De reuerentia ad inuicem exhibenda. et modestia seruanda. Cap.22 45
De

De Refectorio, et communi refectione. cap.23 47
De Ieiunijs, & consuetis abstinentijs nostræ Congregationis. cap.24 51
De disciplina in serò conuentualiter facienda. cap.25 53
De Vestiario. cap.26 54
De communi dormitorio. cap.27 56
De exercitijs Canonicorum. cap.28 58
De exercitijs Conuersorum, & oblatorum, & famulis secularibus. cap.29 59
De quibusdam officijs per Patrem distribuendis. cap.30 61
De modo conueniendi ad communem calefactionem. cap.31 62
De claustri, & ianuæ custodia. cap.32 63
De vitanda familiaritate personarum secularium, et vt nostri secularibus negocijs se non immisceant. cap.33 64
Qualiter Canonici extra claustra statim reuersi incedere debeant. cap.34 66
Qualiter incedere debeant, cùm longiùs proficiscuntur. cap.35 68
De hospitibus recipiendis. cap.36 70
De eleemosyna. cap.37 73
De ijs, qui insolitum austerioris vitæ genus eligere voluerint. cap.38 74
Nn *De*

De Capitulo culparum singula hebdomada congregando. Cap.39 75
De admittendis ad habitum probationis. Cap.40 77
Regulæ instituendorum Nouitiorũ. Cap.41 81
De solemni professione. Cap.42 85
De Oblatis. Cap.43 89

Index Capitulorum, seù Titulorum Secundæ Partis.

De Abbate, seù Rectore Generali totius Congregationis. cap.1 93
De quatuor socijs Abbatis Generalis Visitatoribus Congregationis. cap.2 97
De Procuratore Generali Congreg. cap.3 101
De Prælatis locorum. cap.4 103
De Prælatorum facultate circa administrationem bonorum mobilium. cap.5 106
De Praelatorum facultate circa administrationem bonorum immobilium. cap.6 109
De Vicarijs. cap.7 111
De Magistris Nouitiorum. cap.8 116
De literarum studijs. cap.9 118
Qualiter Canonici ad studia literarum sint admittendi. cap.10 124
De Lectoribus. cap.11 126

De

De Reformatoribus studiorum, et publicis Examinatoribus. cap.12 129
De nonnullis priuilegijs Lectorum. cap.13 131
De Praedicatoribus. cap.14 134
De admittendis ad sacros Ordines. cap.15 139
De admittendis ad exercendam curam animarum personarum secularium, & ad illarum confessiones audiendas. cap.16 140
De Confessarij sanctimonialium. cap.17 142
De Sacristis. cap.18 144
De Bibliothecarijs. cap.19 147
De Infirmarijs. cap.20 149
De Oeconomis Monasteriorum. cap.21 150
De Oeconomis forensibus. cap.22 154
De Ratiocinatoribus, seu Reuisoribus computorum. cap.23 155
De Monasteriorum Depositarijs, & Depositis faciendis. cap.24 158
De Procuratoribus Monasteriorũ cap.25 160
De Archiuis, seu Registris scripturarum. cap.26 163
De Inuentarijs. cap.27 165
De Ianitoribus Monasteriorum. cap.28 167
De fabricis construendis, vel reparandis. cap.29 169
De Monasterijs acceptandis, vel dimittendis. cap.30 170

De modo cōgregandi Capitulum ad grauia negocia Monaſteriorum tractanda. cap. 31 171
De exceſsibus corrigendis, & facultate ad hæc per Sedem Apoſtolicam Congregationi ſpecialiter attributa. cap. 32 175
De culparum diuerſitate. cap. 33 180
De pœnis vagantium, & Praelatorum non reſidentium. cap. 34 182
De pœnis ludentium. cap. 35 185
De pœnis exercentium illicitam negociationem. cap. 36 186
De pœnis ſcribentium literas ſine licentia, & aperientium, aut detinentium, aut falſificantium literas aliorum. cap. 37 188
De pœnis calumniatorum. cap. 38 189
De maledicis, et ſeminantibus diſcordias. cap. 39 191
De pœnis blaſphemantium. cap. 40 190
De pœnis proprietariorū, & furum. cap. 41 194
De pœnis incontinentium, & laborantium vitio luxuriae. cap. 42 196
De pœnis percutientium Fratres. cap. 43 197
De contumacibus, & appellantibus à correctione. cap. 44 198
De fugitiuis, & apoſtatis. cap. 45 199
De pœnis reuelantium ſecreta Congregationis. cap. 46 202

De

De ijs, qui Congregationem extraneis subiugare tentauerint, vel per subreptionem contra illam impetrauerint. cap.47 203
De incorrigibilibus. cap.48 204
De generali visitatione Congreg. cap.49 205
De generali examine familiae. cap.50 210
De modo terminandi visitationes. cap.51 215
De subsidio Abbati Generali, et Visitatoribus pro viaticis exhibendo. cap.52 216

Index Capitulorum, seù Titulorum Tertiæ Partis.

DE generali Capitulo singulo triennio celebrando. cap.1 219
De ys, quae à Praelatis fieri debebunt, antequam à suis Monasterijs discedant, ad Capitulum generale profecturi. cap.2 222
De eligendo socio capitulari ad generalem Capitulum mittendo. cap.3 224
De ijs, quae à Praelato, et socio capitulari ad generale Capitulũ ferri debebunt. cap.4 228
De subsidio pro expensis generalis Capituli à singulis praestando. cap.5 230
De non procurandis suffragijs. cap.6 232
De nonnullis tempore generalis Capituli obseruandis. cap.7 233

De

De ingressu Generalis Capituli, & ordine in sessionibus seruando. cap.8 235
Regulae generales in electionibus seruandae. cap.9 238
De electione Vicarij Generalis. cap.10 242
De Renunciatione Regiminum, & Praelaturarum coram Vicario Generali per Abbatem Generalem, Visitatores, et alios facienda. cap.11 245
De electione Diffinitorum Capituli Generalis. cap.12 246
De eligendo publico Notario Capituli Generalis. cap.13 249
De Priore claustrali, & Oeconomo generalis Capituli. cap.14 251
De quibusdam Iudicibus in Capitulo generali constituendis. cap.15 253
De ijs, quae in generali Capitulo tractanda erunt, & qualiter grauia negocia in eodem Capitulo terminari debebunt. cap.16 255
De electione Abbatis Generalis. cap.17 257
De electione Procuratoris Generalis. cap.18 pag. 260
De electione Praelatorum singulorum Monasteriorum. cap.19 261
De electione Confessariorum Monialiũ, Praedicatorum, Reformatorum studiorum, &

Exa-

Examinatorum publicorum Congregationis. cap.20 264
De diſtributione familię totius Congregationis. cap.21 266
De nonnullis priuilegijs Abbatum Generaliũ, Viſitatorum, & Pręlatorum, qui proprijs officijs renunciauerunt. cap.22 268
De abſolutione Capituli generalis. cap.23 269
Qualiter Fratres de loco ad locum mitti debeant. cap.24 271
De Dietis celebrandis. cap.25 273
De modo eligendi Abbates, et Procuratores Generales, Viſitatores, & Pręlatos, cum illorum officia extra tempus vacauerint. cap.26 274
De vitanda Conſtitutionum multiplicitate, et nouitate. cap.27 277

F I N I S.

PAVLVS PP. III.

Ad perpetuam rei memoriam.

GRaue gerimus, & molestum cum sinistra nobis de quibusuis personis ecclesiasticis, præsertim Religiosis perferuntur; sed in Prælatorum excessibus eò grauiùs prouocamur, quò eorum culpæ remaneant incorrectæ: cum à subditis, quod ab eis agitur faciliùs in exemplum probatur. Sanè sicut ad nostri Apostolatus displicentia peruenit auditum, licèt Canonici Regulares Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis inter alia Paupertatis votum emittant, ac etiam iuxta Ordinis, & Congregationis huiusmodi regularia instituta proprietarij esse nequeant, & singulis annis in ipsa Congregatione, seù illius Capitulo generali censuræ, & pœnæ ecclesiasticæ contra eosdem proprietarios promulgentur: nihilominus nonnulli dictæ Congregationis Prælati paupertatis voto, & censuris huiusmodi spretis, ac depressa regularis disciplinæ norma, bona Monasteriorum Congregationis huiusmodi, vel ipsius Congregationis furtim sibi temeritate propria appropriare, & bona Christi, quæ necessitati in ipsis Monasterijs Domino seruientium, & reparationi Ecclesiarum illorum, ac inopiæ pauperum seruire deberent, in proprios vsus, seù potiùs abusus conuertere præsumpserunt hactenus, & præsumunt, censuras, & pœnas prædictas damnabiliter incurrendo in ani-

marum ſuarum perniciem, & Monaſteriorum eorundem ruinam, detrimentum, & deſolationem. Nos tàm improbæ ipſorum Prælatorum cupiditatis exceſſum reprimere, ac tanto ſacrilegio congruis remedijs obuiare, & dictorum Monaſteriorum indemnitati ſalubriter prouidere cupientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Abbates, Præpoſiti, Priores, cæteriq; Prælati, & Superiores, necnon Canonici dictæ Congregationis, ac eorum Miniſtri, cuiuſcunque gradus exiſtant, qui bona dictorum Monaſteriorum, ſeù ipſius Congregationis hactenus furati, & ſibi appropriare, ac ſub quocunque prætextu ſine expreſſa totius Capituli generalis, vel omnium Diffinitorum Congregationis huiuſmodi licentia, vſurpare præſument, & qui ad præſens vſurpata detineant, & ea intra octo dies publicationem præſentium immediatè ſequentes non reſtituerint, vltra cenſuras, & pœnas in tales, etiam per regularia inſtituta Ordinis, & Congregationis prædictorum, ac priuilegia, & indulta apoſtolica illis conceſſa promulgatas, quas etiam per præſentes innouamus, & ipſos tranſgreſſores (ſi forſan illis per huiuſmodi inſtituta, & priuilegia excommunicationis, & anathematis pœna non ſit inflicta) excommunicamus, & anathematizamus eo ipſo omni regimine, & adminiſtratione omnium prælaturarum, & officiorum Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, ac voce actiua, & paſsiua priuati, & ad illa, & alia quæ-

cunque

cunque dictæ Congregationis prælaturas, administrationes, & officia in posterum habenda perpetuò inhabiles sint, & esse censeantur, & deprehensi tanti furti rei, quando ciuili lege pœna mortis puniri mererentur, per Diffinitores pro tempore existentes ipsius Congregationis, eorum arbitrio (citra tamen vltimi supplicij, aut mutilationis membrorum pœnas) puniantur. Ac quæcunque bona, siuè pecuniæ, siuè aliæ, quæ pecunijs æstimari possint res existant sibi ab eis simili temeritate vsurpata apud ipsos, seù quoscunque alios eorum nomine existentia, etiamsi consanguineis suis, vel alijs quibuscunque donata, quantumlibet in bonis stabilibus commutata sine expressa Diffinitorum Congregationis huiusmodi licentia, statim Monasterijs proprijs, à quibus sublata fuerunt, sub eisdē pœnis eo ipso restitui debeant, nec cum eis desuper dispensari possit, nisi immediatè à Sede Apostolica, & Monasterio, à quo sublata fuerunt, vt præfertur, prius satisfacto. Sic tamen, quòd qui in præterito tanti criminis rei fuerint, si in Capitulo resipuerint, & de facto satisfecerint, vel quamprimùm potuerint satisfacere debitis cautelis promiserint, vel aliter ab ipso Capitulo, vel Diffinitoribus præfatis ordinatum fuerit, absolui possit, & absentes cum præsentes ad eorum notitiam peruenerint infra aliorum octo dierum spacium ab ipsorum Prælatis, vel ab illis, quibus per præfatos Diffinitores demandatum fuerit, facta satisfactione, vel promissione, vt præfertur absolui possint. Transacto autē

 Capi-

Capituli generalis tempore pro præſentibus,& octo diebus huiuſmodi pro abſentibus poſt præmiſſorũ notitiam illorum abſolutio Sedi prędictæ dumtaxat reſeruata ſit,& eſſe cenſeatur,ac tranſgreſſores ipſis pœnis ſupradictis ſubiaceant. Diſtrictiùs præcipiẽdo mandantes omnibus,& ſingulis,qui talium ſcelerum notitiam habuerunt, & habent, vel in futurum habebunt, vt illa Capitulo generali,vel Rectori,vel Viſitatoribus Congregationis prædictæ manifeſtent,& reuelent. Ac inhibentes Rectoribus, & Viſitatoribus præfatis ſub eiſdem pœnis, ne inconſulta Sede prædicta,caſu aliquo cum illis diſpenſare necnon illis, ac eorum miniſtris ne contra Conſtitutiones Ordinis,& Congregationis huiuſmodi bona Monaſteriorum prędictorum diſtribuere, vel vſurpare,niſi ad ſummam in eiſdem Conſtitutionibus taxatam; vel prout per Capitulum generale prædictum fuerit diffinitum quoquomodo præſumant. Ac etiam præcipiendo mandantes Rectori, Diffinitoribus, & Viſitatoribus prę fatis, vt pręſentes literas in libro ſtatutorum dictæ Congregationis adnotari, & inſeri, ac vt moris eſt in ſingulis Monaſterijs pluries legi mandent, & faciant cum effectu. Decernentes ipſas literas poſt decem dies à die earum publicationis in locis conuenientibus faciendæ, effectum habere, ac illarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo ipſius Congregationis munitis eandem prorſus fidem in iudicio,& extra adhibendam fore,quæ eiſdem præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

Quo-

Quocirca dilecto filio nostro Herculi S. Mariæ Nouæ Diacono Cardinali Mantuano nuncupato, & pro tempore existenti dictæ Congregationis Protectori mandamus, vt præsentes literas, & in eis contenta quæcũque auctoritate apostolica firmiter obseruari faciat. Contradicentes quoslibet, & rebelles per supradictas, & alias formidabiliores, de quibus expediens sibi fore videbitur censuras, & pœnas, sublato diffugij, & appellationis obstaculo, compescendo. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusuis priuilegijs, & indultis apostolicis tàm sub plumbo, quã in forma Breuis relatis Superioribus, Canonicis, Ministris, & alijs præfatis forsan sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & Decretis concessis, & approbatis, quæ eis aduersus præmissa nullatenus suffragari posse volumus, contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum sub anulo piscatoris, die . . . Martij 1539. Pontificatus nostri anno 5.

Blosius.

CLE-

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo impoſiti nobis apoſtolici muneris debito inter Religioſos viros, quos honores, & dignitates non ambire, ſed tamen promereri decet, æquam honorum, ac dignitatum eorundem in eorum Ordinibus diſtributionem, vt cuncti ſe ad illa aſſequenda per religioſas virtutum ſemitas aditum parare ſtudeant, ſeruari cupimus, ac in his, cum opus eſt auctoritatis noſtræ partes libenter interponimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Sanè cum ſicut accepimus dudum in quodam Capitulo generali Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, & aliæ prælaturæ dicti Ordinis, inter quaſdam Nationes diſtributæ, harum Nationum aliquibus ſeptem, aliquibus quattuor, & aliquibus tres, ſeù plures, aut pauciores Abbatiæ huiuſmodi aſsignatæ fuerunt. In huiuſmodi diſtributione plures Nationes, veluti Lucenſis, Mantuana, Parmenſis, Ianuenſis, Neapolitana, & Alexandrina, ac aliæ in totum, aut in maiori parte excluſæ remanſerunt in magnum earundem Nationum, in quibus viri pietate, doctrina, Religionis zelo, ac alijs regularibus virtutibus præſtantes reperiuntur præiudicium. Cũ autem à Religione valdè alienum ſit, vt inter ipſos Religioſos, Nationum, & perſonarum quodam-

modo

modo acceptio esse videatur, quinimò ipse rationis ordo requirat, vt qui sub eodem vexillo in Ecclesia Dei militant pari modo tùm onera sustineant, tùm honoribus perfrui valeant. Nos idcirco prædictarum Nationum, quæ ab assecutione Abbatiarum, Præpositurarum, & Prioratuum exclusæ remanserunt indemnitati prospicere, debitumq; cunctorum virtutibus honorem tribui volentes, ex sententia venerabilium Fratrum nostrorum Michaelis Episcopi Albanensis Alexandrini, & Antonij Mariæ Saluiati, necnon Camilli Burghesij, & Pompei Arigonij nuncupatorum S.R.E. Cardinalium, quibus hoc negocium examinandum, & nobis referendum commisimus. Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deq; apostolicæ potestatis plenitudine diuisionem Abbatiarũ, & aliarum prælaturarum prædictarum inter prædictas Nationes, vt præfertur iam factam, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & annullamus, ac de cætero Abbatias, Præposituras, Prioratus, & alias prælaturas prædictas, personis quarumcunque Nationum, meritorum cuiusquam ratione habita conferri, & assignari posse, & debere decernimus, & declaramus. Ac propterea dilecto filio eiusdem Congregationis Generali in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, necnõ priuationis dignitatum, & vocis actiuæ, & pasiuæ, eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, & mãdamus, vt in Dieta generali prædictæ Congregationis quarta Dominica

post

post Pascha Resurrectionis Dominicæ præsentis anni M D XC VIII. facienda præsentes literas solemniter publicando iuxta earum seriem, facta inprimis per ipsum omnium Abbatum, Præpositorum, & Priorum, & Prælatorum prædictorum eiusdem Congregationis Abbatijs, Præposituris, Prioratibus, & Prælaturis prædictis illis assignatis reuocatione, prout nos, tenore præsentium, reuocamus, absoluimus, Abbatias, Præposituras, & Prælaturas prædictas non secundùm prædictarum Nationum, quibus in prædicto Capitulo generali assignatæ fuerunt; sed aliarum etiam Nationum, personis ad eas attinendas idoneis, sine vlla limitatione conferri, & assignari omninò curet, & faciat, seù distribuat, & assignet, atque ita inposterum cæteris futuris eiusdem Congregationis Generalibus, Diffinitoribus, & alijs in Congregationibus Generalibus interessentibus, ad quos spectabit sub eisdem censuris, & pœnis obseruari volumus, & mandamus. Cæterum, quia, vt etiam accepimus, Abbatias huiusmodi ex prædictæ Congregationis ordine, qui Prioris, seù Vicarij munere functus non est, assequi non potest, & personæ dictarum Nationum exclusarum forsan Prioris, Vicarij munere hucusque functę non sunt; nos illis, & cuilibet earum pro hac vice dumtaxat, vt, licèt Prioris, Vicarij, munere functę non sunt, nihilominus Abbatias, Præposituras, Prioratus, & Pręlaturas prædictas consequi, & obtinere perinde possint, & valeant, ac si Prioris, Vicarij etiam munere functæ fuissent auctoritate,

& teno-

& tenore præſentis concedimus, & indulgemus, & cum illis æqualiter illarum gratioſè diſpenſamus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac prædictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, literis apoſtolicis eidem Congregationi, illiuſq; Abbatibus, & Canonicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis in contrarium, præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs, quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 27. Martij 1598. Pontificatus noſtri anno 7.

M. Veſtrius Barbianus.

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto nobis apostolicæ seruitutis officio, ad ea sedulò intendere debemus, per quę Regularium Ordinum prospero regimini salubriter consulatur. Ad Congregationem itaque Canonicorum Regularium Lateranensium, sub Regula Sancti Augustini mentis nostræ aciem cóuertentes, & attentè prospicientes, quòd si Prælaturæ eiusdem Congregationis, quas numero sexaginta tres existere, & nunc ad vitam illas obtinentium contra antiqua regularia eiusdem Congregationis instituta concedi solere accepimus: de cætero non amplius ad vitam, sed de triennio in triennium concederentur, ex hoc profectò prospero regimini, & felici gubernio eiusdem Congregationis valdè consuleretur: quandoquidem ij, qui ad prælaturas eliguntur, cum paulò post se subditos fore animaduertent, suscepti regiminis curam rectiùs gerere curabunt: Idcirco motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, dèq; apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super cósultationibus, & negocijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum, perpetuitatem dictarum prælaturarum eiusdem Congregationis Lateranensis, auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuò abrogamus, ac huiusmodi prælaturas ex nunc

de

de cætero de trienio in trienniũ concedi, & eos, qui per triennium aliquas ex dictis prælaturis obtinuerint, saltèm per annũ integrum ab eisdẽ, quas dicto triennio obtinuerint, & alijs etiam prælaturis, itaut interim nec de vna ad aliam transferri posit, vacare omninò debere, auctoritate, & tenore præsentis statuimus, & ordinamus. Verùm, quia si vno, & eodem tempore omnes prædictæ sexaginta tres prælaturæ, quæ nunc perpetuæ, vt præfertur, existunt, vacare deberent aliqua in eligendis nouis Prælatis omnibus, confusio oriri posset; volumus, vt in proxima futura Dieta generali dictæ Congregationis, quæ Dominica quarta post Pascha Dominicæ Resurrectionis celebrabitur, tertia pars Prælatorum nunc existentium, hoc est ad numerum viginti vnius vacare, & in eorum locum alij noui Prælati vsque ad præfatum numerum viginti vnius, seruata tamen in electione nouorum Prælatorum forma nostrarum literarum in forma Breuis sub dat. die 27. Martij 1598. Pontificatus nostri anno septimo, expeditarum, super distributione inter omnes Nationes facienda indistinctè prælaturarum dictę Cõgregationis, quas literas nostras saluas esse volumus, eligi, & successiuè sequenti anno alia tertia pars, & tertio anno reliqua tertia pars omnium Prælatorum huiusmodi vacare, & ad illas nouos Prælatos eligi debere volumus. Nouorum autem Prælatorum in locis vacantium pro tempore, prælaturarum huiusmodi electiones per nouem Electores, prout in Capitulo generali fieri consueuit, in huiusmodi Dietis

generalibus pariter faciẽdas esse per Abbatem Generalem,& quatuor Visitatores tunc existentes, simul cum quatuor Diffinitoribus,qui in antecedenti proxima Dieta, seù Capitulo generali extiterint; ita tamen,vt si aliquis eorum decesserit, aut absens, vel infirmus, seù aliàs impeditus fuerit, cæteri ex dictis nouem Electoribus alium eiusdem Congregationis Canonicum idoneum eorum arbitrio, quorum super hoc conscientiam oneramus, in defuncti, absentis, infirmi, vel aliàs impediti locum sufficere posśint. Vtq; circa vacationem tertiæ partis prælaturarum, in proxima futura Dieta generali,& in alia sequenti quietè procedatur,eas prælaturas in prima, & secunda Dietis generalibus huiusmodi respectiuè vacare debere, quas suprascripti nouem Electores iuxta eorum conscientiam iudicauerint: sicq; vt præmissum est, & non aliter in omnibus,& per omnia obseruari debere, ac irritũ, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ,& sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum,ac vocis actiuæ, & pasśiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illas, & alias inposterum obtinendas dilectis filijs Generali, & alijs Abbatibus,& Prælatis eiusdem Congregationis, vt ad præmissorum executionem prompta, vt decet, obedientia, & humilitate procedant, eaq; perpetuò deinceps obseruent, & obseruari curent, & faciant, omni prorsus contradictione, & reclamatione ces-

sante.

ſante. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam iuramento, & confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis eidem Congregationi, illiuſq; Abbatibus, & Canonicis ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & roboratis, & approbatis: Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque, &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die 27. Aprilis 1602. Pontificatus noſtri anno 11.

M. Veſtrius Barbianus.

P A V-

PAVLVS PP. V.

Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis nostri muneris ratio postulat, vt in illis auctoritatem nostram interponamus, per quæ Congregationum, & Ordinum Regularium quieti, & prospero statui oportunè consulatur, prout salubriter in Domino conspicimus expedire. Ad Congregationem itaque Lateranensem Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini mentis nostræ aciem conuertentes, ac attentè considerantes maximè conuenire, vt in electione Prælatorum, Superiorum, ac Officialium ipsius Cōgregationis omnes illius Canonici Regulares (nulla Nationum, aut personarum acceptione, vel exceptione habita) partem habere debeant, æqualitatem votorum, & suffragiorum in Diffinitorio tàm in Capitulo, quàm in generalibus Dietis stabiliendam duximus. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, dèq; apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie statuimus, & ordinamus, vt de cætero pro huiusmodi votorum æqualitate in eodem Diffinitorio, vnus ex Marchiæ Ecclesiasticæ, alius ex Status, & Ducatus Mediolani, alius ex Marchiæ Triuisanæ, alius ex Principatus Pedemontium coniunctim vnà cum Monasterijs Placentiæ, Parmæ, Mantuæ, Mutinæ, Regij, & Vineolæ, & alius ex Hetruriæ; Regni

Y A Nea-

Neapolis, & Genuæ Monaſterijs eiuſdem Congregationis, qui reſpectiuè ſic ad hunc effectum pro vna vice ex dictis Monaſterijs Hetruriæ, & Genuæ, & pro alia vice ex Regno Neapolis perpetuis futuris temporibus eligi debeat, eligendi Canonici vota in quibuſcunque Capitulis, & Dietis generalibus dictæ Congregationis habeant: quæ quinque vota Diffinitorium nouum conſtituunt, quæ omnia interuenire debent in omnibus determinationibus in ipſis Dietis, & Capitulis generalibus faciendis. Pręterea vt Abbas Generalis totius Cōgregationis iuxta formam literarum, in forma Breuis fel. rec. Gregorij Papę XIII. prędeceſſoris noſtri ad triennium, & cum diſtinctione pręſcripta in Conſtitutionibus dictę Congregationis, per dictas literas confirmatis, videlicet quòd pro vno triennio ex Prouincijs vocatis, iuxta antiquum vſum Marchię Eccleſiaſticę, & Triuiſanę, & pro alio triennio ex Prouincijs iuxta eundem antiquū vſum nuncupatis Lombardię, videlicet Ducatus, & Status Mediolani, Pedemontium, Parmæ, Placentię, Mutinę, Regij, Vineolę, ac Hetruriae, Regni Neapolis, & Genuæ, & ex his Prouincijs reſpectiuè alternis vicibus, iuxta diſtinctionem prædictam perpetuò eligi debeat abſque aliqua Nationum, aut Prouinciarum illius partis, ad quam pro tempore ſpectabit, exceptione. Procurator verò generalis, qui in Romana Curia reſidere ſolet, & insimul Abbas de S. Maria de Pace de Vrbe exiſtit, ſemper eligatur pro vno itidem triennio ex altera parte duarum ſumptarum, ex

qua

qua dicto triennio Abbas Generalis eligi non debet; illo autem triennio, quo Procurator Generalis, & Abbas dicti Monasterij de Pace ex Prouincia Lombardiæ extiterit, Prouinciæ Ecclesiasticæ, vnũ Monasterium paris qualitatis Monasterij prædicti de Pace arbitrio Diffinitorij assignari debeat. Cum autem æquum sit, & rationi consonum, vt ij, qui sub eadem Regula militant æqualiter onera sustineant, ac honoribus, & prælaturis fruantur. Nos menti, & intentioni recol. mem. Clementis Papæ Octaui, etiam prædecessoris nostri super hoc editæ inhærentes, diuisionem Monasteriorum, ac Abbatiarum, & prælaturarum, inter quasdam Nationes, vt accepimus, factam auctoritate apostolica, tenore præsentium reuocamus, cassamus, & annullamus; vtq; de cætero Monasterio, Abbatiæ, præpositurae, Prioratus, & cæteræ prælaturæ ipsius Congregationis Canonicis cuiuscunque Nationis, & Prouinciæ meritis suffultis absque aliqua Nationum, & personarum exceptione assignari, & ad eas Canonici huiusmodi virtute, ac meritis præstantes, iuxta dicti Clementis intentionem eligi debeant, perpetuò pariter statuimus, & ordinamus. Vlteriùs vt in quacunque Natione, & Prouincia Nouitij iuxta capacitatem, qualitatem, & redditus cuiuscũque Monasterij recipiantur, decernimus, vt inposterum in qualibet Natione, & Prouincia, is tantùm Nouitiorum numerus admittatur, & recipiatur, qui pro implemento cuiuscunque Monasterij præscriptus, & in tariffa assignatus fuit, ac in illis Nationibus, &

Pro-

Prouincijs, earúmq; Monasterijs, in quibus numerus præfixus exceditur, recipi nequeant aliqui Nouitij, donec ad numerum præscriptum pro singulo Monasterio tàm Canonici, quàm Conuersi redacti fuerint. Verùm si in ipsis Prouincijs, & Nationibus, in quibus numerus præscriptus completus, & etiam vltra dictum numerum recepti reperiuntur alicuius personæ literarum, scientia, vitæq; ac morum integritate, ac sanctitate maximè præditæ, quæ in ipsam Congregationem admitti postulauerit, occasio oblatà fuerit, illam cùm voto Diffinitorum pro duabus saltèm partibus concordis, non tamen vltra sex personas in totum, donec Canonici, & Conuersi ad præscriptum numerum redacti fuerint, absque præiudicio Monasteriorum, in quibus numerus præscriptus, & asignatus completus non fuerit, recipiendi facultatem concedimus. Et ad hunc effectum Nouitiatus institutos, videlicet in Marchia Ecclesiastica, Cæsenæ, & Montisbellij, in Statu, & Ducatu Mediolani in Monasterio Casoreti, in Diœcesi Mediolanēsi sito; ac in Dominio Venetorum Veronæ, in Hetruria Fesulis, & in Monasterijs Neapolis, in Monasterio Beatæ Mariæ Pediscriptæ confirmamus, & approbamus; ac in illis Nouitios iuxta præsentium, & ordinationum Decretorum iussu dicti Clementis prædecessoris factorum tenorem, & numerum præscriptum recipi posse concedimus. Præterea non modernorum Abbatis, & Visitatorum, ac Procuratoris Generalium causa, qui aliòquin, & præsertim ipse

Abbas Generalis eorum officijs hactenus laudabiliter functi sunt, neque propter aliqua eorum præterita demerita, sed vt hæc nostra constitutio in ipsa Congregatione de cætero perpetuò obseruanda hoc tempore sine alicuius exceptione initium sumat, volumus, & pari motu, & auctoritate statuimus, vt neque Abbas Generalis, qui pro tempore fuerit finito eius officio, & facta electione alterius Abbatis ad officium Generale, videlicet, Visitatoris, aut Procuratoris Generalis pro tempore in Abbatem Generalem, nisi absoluto triēnio post peractum respectiuè vtrunque officium eligi possit: vtq; etiam nullus ex Visitatoribus Generalibus finito triennio sui officij visitationis generalis, in Abbatem Generalem pro sequenti immediato triennio eligi valeat: præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis eiusdem Congregationis Generali, ac alijs Abbatibus, Diffinitoribus, Prælatis, & Canonicis, cæterisq; ad quos spectat, & in futurum spectabit, vt præsentes nostras literas obseruent, & obseruari curent, & faciant, irritum nihilominus, & inane decernentes quidquid secùs super id à quoquam, quauis auctoritate, sciēter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus quibusuis cōstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis, quibusuis eiusdem Congregationis Superioribus, & Canonicis

sub

ſub quibuſcunque tenoribus,& formis,ac alijs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes,hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; quibuſcunque, &c. Datum Romæ apud S.Petrum ſub anulo Piſcatoris die 30. Decembris 1606. Pontificatus noſtri anno 1.

M. Veſtrius Barbianus.

PAVLVS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

INdemnitati regularium personarum ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio intendentes, quæ propterea facta fuisse dicuntur, vt firmiùs subsistant, & diligentiùs obseruentur, libenter approbamus. Dudum siquidem cum Congregatio Lateranensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ob sinistros illius euentus graui ære alieno grauata reperiretur, cuius causa magnam pecuniarum summam, etiam vltra onera eidem Congregationi Apostolica auctoritate imposita, & publicos ipsius Congregationis sumptus, singulo quoque anno soluere, & nouum æs alienum propterea contrahere cogeretur: fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster, incommodis huiusmodi obuiare cupiens, quinque super hoc Commissarios dicta auctoritate constituit, & deputauit; quibus omnia dictæ Congregationis Monasteria, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus visitandi, & vniuscuiusque Monasterij huiusmodi fructus, redditus, & prouentus, ac eorum veros etiam annuos valores minutim considerandi, numerum Canonicorum, ac Conuersorum limitandi, & alimenta vnicuique debita assignandi, & quod superesset ex fructibus cuiuslibet Monasterij huiusmodi sequestrandi, illudq; tàm in solutionem fructuum decursorum, ac in futurum decurrendorum, quàm

in

in extinctione censuum redimibilium nomine ipsius Congregationis conuertendi, aliàq; forsan desuper faciendi, & exequendi omnimodam auctoritatem, potestatem, & facultatem concessit, prout in suis desuper in forma Breuis confectis literis plenius continetur. Cùm autem, sicut nomine ipsius Congregationis Nobis nuper expositum fuit, dicta Congregatio, licèt magnam pecuniarum quantitatem Romæ, & Venetijs, ac in alijs Italiæ Ciuitatibus persoluerit, nihilominus eidem ferè, ac forsan maiori æri alieno, quo tempore deputationis dictorum Commissariorum erat adhuc obnoxia reperiatur, eòq; magis in dies crescente, in proximo præterito generali Capitulo Rauennæ ad præsentiam dilectorum filiorum Abbatis Generalis, necnon Diffinitorum, reliquorumq; dictæ Congregationis Vocalium habito, infrascriptum remedium ad Cógregationis huiusmodi onera subleuanda, eiusq; rationes iuuandas magis aptum, & efficax de vnanimi consensu eorum, qui in dicto Capitulo interuenerunt, excogitatum, & approbatum fuit, vt scilicet diuisio debitorum inter Monasteria fieret, tàm respectu capitalium censuum redimibilium, quàm respectu fructuum aliorum censuum vitalitiorum nuncupatorum, ac quorumcunque onerum, ac præstationum Sedi, seù Cameræ Apostolicæ, necnon dictæ Congregationis ærario pro sustinendis publicis expensis annuatim præstandorum, forma tamen, & modo diuisionis huiusmodi per idem Capitulum dilecto

cto

cto filio nostro Flaminio tituli Sanctæ Mariæ de Pace Cardinali Plato nuncupato, ac eiusdem Congregationis Protectori, remissis: qui quidem Flaminius Cardinalis, ac Protector, adhibitis calculatoribus, eorumq; necnon etiam dilecti filij Archangeli de Mediolano Monasterij eiusdẽ S. Mariç de Pace Abbatis, ac Congregationis prædictæ Procuratoris Generalis, ac aliorum peritorũ consilium, & relationem in hac parte secutus, omnium debitorum, & censuum tàm francabilium, quàm vitalitiorum vbìque existentium, ac fructuum, & onerum annuorum prædictorum summam in moneta Romana reductam, diuisit in infrascripta quinquaginta duo Monasteria, quãdoquidem reliqua alia duodecim dictæ Congregationis Monasteria adeò egestate premuntur, ac laborant, vt huiusmodi onus, vel minima ex parte ferre nequeant, suamq; vnicuique Monasterio portionem contingentem tàm sortis, quàm fructuum, & onerum præfatorum iuxta vniuscuiusque Monasterij vires, ac facultates, habito etiam respectu assignationis per dictos Commissarios aliàs factæ, distribuit, & assignauit, eamq; singulis Monasterijs, eorumq; Prælatis transmitti, et postquam transmissa fuit, ab eisdem diligenter, examinari voluit, et curauit, habitòq; respõso vniuscuiusque dictæ Congregationis Prælati, præfato Archangelo Procuratori Romæ per literas dato, nouissimè de mense Octobris proximè præterito in Conuentu Arimini coram eodem Flaminio Cardinale, ac Protectore, necnon Abbate Generali, ac Visita-

toribus

toribus præfatis, nonnullisq; alijs Congregationis huiusmodi Prælatis habito, accuratè examinata, discussa, & vnanimiter approbata fuit. Quibus sic se habentibus, id, quod opera dictorum Commissariorum assecutum non fuit, nunc ex diuisione, & assignatione huiusmodi eadem Congregatio consequi posse sperat. Ideò nomine dicti Flaminij Cardinalis, & Congregationis præfatæ fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus compartimento, seù diuisioni, & assignationi huiusmodi prò illius firmiori subsistentia robur apostolicæ confirmationis adijcere, aliàsq; in præmissis oportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui felicem huius Congregationis progressum spiritualem, & temporalem more maiorum nostrorũ Romanorum Pontificum synceris desideramus affectibus, omnes & singulas dictæ Congregationis personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes; necnon dictorum debitorum quantitates, qualitates, & causas, eorumq; instrumenta, & scripturas etiam priuatas, ac creditorum nomina, & cognomina, gradus, et ordines, ac literarum dicti Sixti Quinti tenores, perindè ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro plenè, et sufficienter expresßis, et totaliter insertis habentes,

bentes,huiuſmodi ſupplicationibus inclinati,ex certa noſtra ſcientia,cópartimentum, ſeù diuiſionem, & aſsignationem dictorum debitorum,prout in fine præſentium annotata, & deſcripta eſt , dicta auctoritate , earundem tenore præſentium in perpetuum approbamus , & confirmamus , illiq; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſq; & ſingulos tàm iuris, quàm facti,ac ſolemnitatum deſuper neceſſariarum forſan omiſſarum defectus , ſi qui , quomodolibet interuenerunt , ſupplemus. Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ pœna, per contrafaciẽtes eo ipſo incurrenda , Abbati Generali, Viſitatoribus,& alijs eiuſdem Congregationis Prælatis pro tempore exiſtentibus , ac alijs quibuſcunque dictæ Congregationis Superioribus , ac Miniſtris quocunque nomine nuncupentur , quatenus nullo alio à Nobis deſuper expectato mandato,compartimentum , ſeù diuiſionem , ac aſsignationem dictorum debitorum recipiant, omni, & quacunque appellatione,recurſu,ſeù reclamatione poſtpoſitis, & vnuſquiſque illorum cum omni animi promptitudine partem eos tãgentem integrè,& realiter perſoluat , ac debitæ executioni demandet.Mandantes Abbati Generali, & Viſitatoribus, Prælatis , ac alijs prædictis , vt durantibus eorum officijs , omni,qua fieri poterit,diligentia procurent,vt vnumquodque Monaſterium huiuſmodi , ſeù illius Prælatus ſingulo quoque an no portionem fructuum ſibi in compartimento , ſeù diuiſione aſsignatam integrè ſoluat ;

ſingulo

ſingulò verò triennio, quo prælationis munus durare dignoſcitur, congruam pro Monaſterij facultatibus portionem ſortis cenſuum francabilium extinguat. Quòd ſi Abbates Generales, & Viſitatores tàm moderni, quàm pro tempore exiſtentes, negligentes fuerint, in eorum debito officio circa præmiſſa exequendo, reliqui verò Prælati Monaſteriorum prædictas tàm fructuum, & onerum, quã ſortis portiones ſibi aſsignatas non perſoluerint, & reſpectiuè extinxerint, voce actiua, & paſsiua, ac cuiuſlibet prælaturæ gradus, dignitatis, & officij, tàm publici, quàm priuati in perpetuum eo ipſo priuati exiſtant, & in locum præmiſſa non adimplentium, ſeù adimplere recuſantium, aut differentium, & alij dictæ Canonici, vel Prælati arbitrio Abbatis Generalis, ſeù dictæ Congregationis Cardinalis Protectoris prædictorum, & pro tempore exiſtentium ſubrogentur, ac ſubſtituantur, de quorum diligentia, & ſolertia circa præmiſſa maior ſpes ſit: Inſuper prouidere cupientes, ne malitia, aut negligentia Prælatorum ac Miniſtrorum vnius, vel plurium Monaſteriorum, vel alicuius Nationis, aut Prouinciæ inpoſterum aliquo pacto cæteris Prouincijs, Nationibus, Monaſterijs, aut vniuerſæ Congregationi huiuſmodi noceat, vel detrimentum afferre valeat, diſtrictiùs inhibemus ſub prædictis vocis actiuæ, & paſsiuæ priuationis, & alijs pœnis, ne vllo vnquam tempore debita, ſicut præfertur, diuiſa, diſtributa, & aſsignata, aut alia etiam debita ab aliquo Monaſterio,

Natione, vel Prouincia ad præsens contracta, seù quouis modo inposterum contrahenda quauis causa, vel occasione, etiam necessitate vrgente, vel vrgentissima amplius ipsius Congregationis communia fiant, vel communicentur; sed propria, & particularia illius Monasterij, Nationis, & Prouinciæ remaneant, quæ ipsamet debita contraxerint, mandantes, vt de eorundem Monasteriorum, Nationis, & Prouinciæ bonis, quæ debita contraxerint, persolui omninò debeant. Si verò aliquod Monasterium, siuè Monasteria, ob grandines, seù alios quoslibet sinistros, & fortuitos euentus ratam suæ portionis, iuxta diuisionem, & assignationem prædictas persoluere non possint, tunc potiùs quæuis alia ineatur ratio, qua ei succurratur, quàm Congregatio onus soluendi portionem per dicta Monasteria non solutam subeat, neque debita particularium Monasteriorum, Nationum, aut Prouinciarum in se suscipiat, quinimò potiùs vbi aliter eis succurri, ac subueniri non possit, Canonicorum, ac Conuersorum numerus in præfatis Monasterijs, portionem eis distributam soluere non valentibus, vel noua debita contrahentibus commorari consuetus, quousque ad eum statum redacta fuerint, vt satisfacere possint, minuatur; & nihilominus Abbati Generali, ac Diffinitoribus præfatis, cum participatione tamen eiusdem Cardinalis Protectoris, & dũmodo nouum æs alienum non contrahatur, particularibus quibuslibet Congregationis huiusmodi Monasterijs prædictam portionem suam ob aliqua infor-

infortunia soluere non valentibus, vel aliàs indigentibus, ex legitima causa, & ex ærario publico subueniri liceat, Prohibentes eisdem Abbati Generali, Diffinitoribus, Prælatis, Ministris, ac Canonicis præfatis quibuscunque sub priuationis, ac alijs pœnis præfatis, ne nouum æs alienum ex priuata cuiusuis Monasterij causa, etiam quantumuis vrgentissima, vt præfertur, contrahere audeant, quoquomodo, vel præsumant. Et vt faciliùs, ac quantociùs à quolibet Prælato, & Monasterio conueniens solutio sortis censuum eis assignatorum executioni demandetur, eidem Congregationi, & Prælatis cuiuslibet Monasterij Congregationis huiusmodi, quod de consensu, & participatione dicti Flaminij Cardinalis, ac pro tempore existentium eiusdem Congregationis Protectorum quascunque pecuniarum quantitates ad census annuos, minori tamen, quo fieri possit, dispendio, Romæ, Venetijs, Mediolani, Ianuæ, vel alijs Italiæ Ciuitatibus, aut Locis quibuscunque accipere possessiones, seù prædia Monasteriorum quorumlibet ad longum tempus, cùm anticipatis solutionibus notabilis pecuniarum quantitatis locare, seù arrendare posint, & valeant, dummodo pecuniæ ex censibus nouis vigore præsentium respectiuè creandis, & arrendandis, prouenientes, in extinctionem antiquorum censuum cuilibet Monasterio huiusmodi assignatorum conuertantur, tenore earundem præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes dictam Congregationem, aliosq; qui pecunias

ſuas ad cenſus dederint; ad verificationem præmiſſorum nullo vnquam tempore teneri, nec ad id obligatos exiſtere, præſentèsque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeù intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod intereſſe in præmiſsis habentes, vel prætendentes ad hoc vocati non fuerint, & cauſæ, propter quas præſentes emanarunt examinatæ non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci, ſeù in jus, vel controuerſiam reuocari non poſſe; ſicque per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbìque judicari, ac diffiniri debere; necnon irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dicto Flaminio Cardinali, & alijs dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus Protectoribus præfatis, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per ſe, vel alium, ſeù alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, quoties pro parte dictæ Congregationis fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac illi in premiſsis efficacis defenſionis preſidio aſsiſtentes, non permittant dictam Congregationem deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari; Contradictores quoſ-

quoslibet, ac rebelles, & pręmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaq; oportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstante pię mem. Symmachi, & Pauli II. ac aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, & malè alienatis recuperandis, alijsq; constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & irritantibus Decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem, quòd vnumquodque Monaste-

rium,

rium, onus soluendi tàm sortem, quàm fructus debitorum, & onerum sibi in prædicta diuisione asignatorum quantocitiùs in se recipiat, illamque exequi promittat, necnon termino triennij à data præsentium computandi vniuersam Congregationem pro dicta summa indemnem omninò reuelare teneatur; quodq; præsentium transumptis, etiã impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Diuisio autem, & asignatio, de quibus supra fit mentio; & summa scutorum integrè quotannis ab vnoquoque Monasterio soluendorum, siuè Romæ, siuè in proprijs Ciuitatibus, ad rationem iuliorum decem pro quolibet scuto, siuè Venetijs, ad rationem librarum septem monetæ Venetæ est vt infra, videlicet. Ex Prouincia Ecclesiastica, Monasterium Sancti Ioannis Baptistæ Anconæ soluet scuta quinque centum. Monasterium Sancti Ioannis in Monte Bononiæ scuta septem centum, & solidos monetæ Romanæ septuagintaquinque. Monasterium Sanctæ Crucis extra Cæsenam, scuta mille. Monasterium Sanctæ Catharinæ Firmi, scuta tercentum. Monasterium Sancti Ioannis Baptistæ Ferrariæ, scuta quinque centum. Monasterium Sancti Iuliani Imolæ, scuta ducentum quinquaginta septem, & solidos, vti supra, quinquaginta. Monasterium Sanctæ Mariæ Montisbelli, extra Bononiá, scuta mille nouem centum, & solidos, vti supra,

quin-

quinquaginta.Monasterium Sanctæ Mariæ in Portu Rauennæ scuta sex millia . Monasterium Sancti Marini Arimini scuta nouem centum , & solidos vti supra quinquaginta . Monasterium Sancti Caterui Tolentini , scuta centum quinquaginta . Ex Prouincia Ducatus Mediolani . Monasterium S. Mariæ de Castello Alexandriæ , soluet scuta septem centum . Monasterium S. Georgij de Brinate extra Mediolanum , scuta mille ducentum . Monasteriũ S. Mariæ Blancæ de Casoreto extra Mediolanum , scuta tercentum . Monasterium S. Petri apud Padũ Cremonæ , scuta duo mille quatuor centum . Monasterium S.Romani Laudæ,scuta centum,& octo. Monasterium S. Mariæ Passionis Mediolani, scuta tria millia,& ducenta. Monasterium S.Crucis Mortarij, scuta mille centum . Monasterium S. Mariæ Gratiarum extra Nouariam , scuta octo centum . Monasterium S. Petri in Cælo aureo Papiæ , scuta mille ducentum. Monasterium S.Epiphanij Papię, scuta quinque centum . Monasterium S. Matthæi Derthonæ scuta septuaginta vnum , & solidos , vti supra, viginti octo . Ex Prouincia Veneta . Monasterium S.Spiritus Bergomi soluet scuta tercentũ, & solidos, vti supra, quinquaginta . Monasterium S.Saluatoris Brixiæ scuta quinque centum , & solidos , vti supra quinquaginta. Monasterium S.Antonij de Conegliano, scuta quatuor centum , & solidos, vti supra, quinquaginta. Monasterium S.Benedicti Cremæ , scuta centum quinquaginta quatuor, & solidos vti supra,quinquaginta. Monasteriũ

S.Ioan-

S. Ioannis in Viridario Patauij ſcuta tria millia. Monaſterium Sanctorum quadraginta Martyrum Taruiſij, ſcuta octo centum. Monaſterium S. Leonardi extra Veronam, ſcuta ſeptuaginta, & ſolidos, vti ſupra, quatuor. Monaſterium Sancti Bartholomæi Vincentiæ, ſcuta quinque centum quinquaginta, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium Sanctæ Mariæ Charitatis Venetiarum, ſcuta octo centum. Ex Prouincia Regni Neapolis, Hetruriæ, & Liguriæ. Monaſterium Sancti Modeſti Beneuenti ſoluet ſcuta quinque centum, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium Sanctæ Mariæ Nouæ Lanciani, ſcuta nonaginta tria, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium Sancti Petri ad Aram Neapolis, ſcuta mille quatuor centum, & ſolidos, vti ſupra, quadraginta. Monaſterium Sanctæ Mariæ Pedis Cryptæ Neapolis ſcuta ſeptem cētum, & ſolidos, vti ſupra, triginta quinque. Monaſterium Sanctæ Mariæ ſupra paretem extra Nolam ſcuta nonaginta tria, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium Sanctæ Mariæ Tremitarum, ſcuta ſex mille quinquecentum. Monaſterium Sancti Bartholomæi Feſularum extra Florentiam, ſcuta tercentum quinquaginta. Monaſterium Sanctæ Mariæ de Frixonaria extra Lucam, ſcuta mille octo centum. Monaſterium Sancti Frigdiani Lucæ, ſcuta mille ſeptem centum. Monaſterium Sancti Bartholomæi Piſtorij, ſcuta quinque centum. Monaſterium Sancti Michaelis Diſcalceatorum, extra Piſas, ſcuta centum quinquaginta. Monaſterium

Sancti Theodori Ianuæ, ſcuta centum viginti. Ex Prouincia Pedemontana, & Monaſterijs ei vnitis, & annexis. Monaſterium Sanctæ Mariæ Nouæ Aſti ſoluet ſcuta tercentum quinquaginta. Monaſterium S. Sebaſtiani extra Bugellam, ſcuta quinquaginta quatuor. Monaſterium S. Mariæ Cretæ Montisferrati, ſcuta centum ſexaginta duo. Monaſterium S. Bartholomæi extra Mantuam, ſcuta tercentum. Monaſterium S. Trinitatis Mutinæ, ſcuta ducentum octuaginta ſeptem, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium S. Auguſtini Placentiæ, ſcuta quinque mille ſexcentum. Monaſterium S. Sepulcri Parmę, ſcuta ſexcentũ, & ſolidos vti ſupra quinquaginta. Monaſterium S. Mariæ Gratiarum Reggij ſcuta tercentum, & ſolidos quinquaginta. Monaſterium S. Mariæ ſuper Podium, extra Vincolam, ſcuta centum quinquaginta quatuor, & ſolidos, vti ſupra, quinquaginta. Monaſterium S. Andreæ Vercellarum, ſcuta mille nouem centum. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub anulo Piſcatoris, die 12. Aprilis 1608. Pontificatus noſtri anno tertio.

Scipio Cobellutius.

PAVLVS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ONerosa pastoralis officij cura meritis licèt imparibus Nobis ex alto commissa postulat, vt ad Religiosorum Ordines, in quorum instituto non mediocre constitutum est Ecclesiæ præsidium, & ornamentum mentis nostræ aciem assiduè intendamus, vt quæ, hostis humani generis dolis, regularis disciplinæ subrepunt corruptelæ, pastorali vigilantia eliminentur; cum verò nulla maior vitæ, & obseruantiæ regularis sit pernicies, quàm secularibus desiderijs inseruire, eos, qui abnegantes propriam voluntatem Christi iugum subire, & seculo mori elegerunt, vento superbiæ se abripi sinere, & vt præstare alijs possint honores, dignitates, & officia affectare, & per illicitos etiam tramites, quod grauius est, quærere; vt hoc malum è Congregatione Canonicorum Regularium Lateranensium Ordinis Sancti Augustini fel. rec. Clemens Papæ VIII. Prædecessor noster euelleret, per suas in simili forma Breuis expeditas literas, omnes, & singulos dicti Ordinis, & Congregationis Canonicos Regulares cuiuscunque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, & administrationes, functiones, & alia officia dictæ Congregationis assequenda intenti ad Principum, & Prælatorum, ac

alia-

aliarum quarumcunque personarum, tàm secularium, quàm Ecclesiasticarum de gremio d. Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacunque seculari dignitate, & excellentia etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentiũ fauores recurrissent, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijsq; vijs directè, vel indirectè, palàm, vel occultè ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspirassent, vel aliàs minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsijssent; aut etiã spontè oblatis, & minimè conquisitis vsi fuissent, illorumq; complices, & fautores ad quascũque prę-laturas, dignitates, & officia, gradusq; honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declarauit, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribu, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officijs huiusmodi eo ipso priuauit, ac priuatos voce tã actiua, quàm passiua carere decreuit, & declarauit, ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus Ordinis, & Congregationis prædictorum Canonicis, Superioribusq; & Prçlatis quocunque titulo nuncupatis etiã Abbati Generali præcepit, districtèq; mandauit, nè quemquam vllo tempore precibus, literis, vel fauoribus adducti, seù aliàs ad instantiam, seù requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcunque tàm secularium, quàm Ecclesiasticorum extra dictum gremiũ

 exi-

existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum ad cuiusuis generis prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promouere, vel pœnas aliquas remittere auderent, seù præsumerét, & aliàs prout in dictis literis sub die octaua Maij M D XCIII. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Quocirca, cum sicut accepimus ad celebrationem Capituli generalis dictæ Congregationis breui deueniendum sit, Nos, vt tanto diligentiùs omnis ambitus à prędictis Canonicis caueatur, & à dicto Clemente prædecessore salubriter constitùta seruentur, quantò enixiùs ab Apostolica Sede procurari perspexerint, motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, dèq; Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas Clementis prædecessoris literas, omniaq; & singula in eis contenta quæcunque, tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus, illisq; inuiolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac ab omnibus, & singulis Superioribus quocunque nomine nuncupatis, necnon Canonicis, cæterisq; personis dictæ Congregationis, sub pœnis, & censuris in eisdem literis contentis, & eo ipso per contrafacientes incurrẽdis omninò obseruari volumus, & mandamus: sicq; & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales iudicari, & diffiniri

 debere,

debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ d. Clemens prædecessor in dictis literis voluit non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Aut si prædictis Canonicis, vel quibusuis alijs communiter, aut diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non posint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Vt autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis, & Congregationis Canonicos faciliùs deueniat, volumus, illas in Capitulo Cōuentuali, cuiusq; Monasterij, cum primùm ad eos peruenerint, legi, & publicari, & postquam sic lectæ, & publicatæ fuerint perindè afficere, ac si personaliter vnicuique præsentatæ, & solemniter publicatæ fuissent, illarumq; exemplis etiam impressis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Rectoris Generalis ipsius Cōgregationis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 19. Martij 1615. Pontificatus nostri anno decimo.

Scipio Cobellutius.

PAVLVS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CIrca pastoralis officij nobis, meritis licèt imparibus, diuina disponente clementia, commissi curam, quantùm nobis ex alto permittitur inuigilantes, assiduè ad ea, per quæ Congregationum, & Ordinum Regularium quieti, & prospero statui opportunè consulatur, libenter intendimus, & in his nostræ vigilantiæ studium propensiùs impartimur, prout rerum, temporum, & personarum qualitatibus debitè pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem Congregationem Lateranensem, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium in quinque Prouincias, Ecclesiasticam videlicet, Venetam, Ducatus Mediolani, Principatus Pedemontium, atque Ducalium annexorum, & demùm Hetruriæ, Regni Neapolis, atque Genuæ distinximus, aliaq; circa æqualitatem Votorum, suffragiorumq; Definitorij, tàm in Capitulo, quàm in Generalibus Dietis, ac tàm in electione Prælatorum, Superiorum, ac Officialium ipsius Congregationis, quàm in alijs quibusuis determinationibus, vtq; pro huiusmodi votorum æqualitate in eorum Definitorio, vnus ex Prouincia Ecclesiastica, alius ex Status, & Ducatus Mediolani, alius ex Marchiæ Triuisanæ, alius ex Principatus Pedemontium coniunctim vnà cum Monasterijs Placentiæ, Parmæ, Mantuæ, Regij, &

Vineolæ, aliusq; ex Hetruriæ, Regni Neapolis, & Genuæ Monasterijs eiusdem Congregationis, qui respectiuè sit ad hunc effectum pro vna vice ex dictis Monasterijs Hetruriæ, & Genuæ; ac pro alia vice ex Regno Neapolis perpetuis futuris temporibus eligi deberet; statuimus, & decreuimus; prout in nostris desuper sub anulo Piscatoris die 30. Nouembris anni Domini M DC VII. confectis literis pleniùs continetur. Nos prosperiori, & tranquilliori eiusdem Congregationis statui consulere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis nomine Nobis desuper humiliter porrectis inclinati auctoritate Apostolica harum seriè etiam statuimus, & ordinamus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, ex supradictis quinque Prouincijs sic distinctis per turnum, infra dicto ordine seruato. Abbas, & Procurator Generales eiusdem Congregationis per Diffinitores, & alios, ad quos electio Abbatis, & Procuratoris Generalium huiusmodi spectat, & pertinet eligi debeat, itaut ex vnaquaque dictarum Prouinciarum successiuo ordine Abbas, & Procurator Generales prædicti, dummodo tamē eiusdem Prouinciæ in simul vnquam existant, eligantur. In electione autem Abbatis Generalis infrascriptus turnus seruetur, & Ecclesiastica Prouincia præcedat, quæ quia ad præsens Abbatem Generalem habet, suum turnum habuisse, & compleuisse censeatur; triennio autem præsenti elapso, ex Ducali, Principatusq; Pedemontis insimul; deinde ex Veneta; ac postea ex Mediolanensi; postremò ex

Regni

Regni Neapolis, & Hetruriæ, ac Genuæ vnitis, seù coniunctis, Abbas Generalis per turnum huiusmodi eligatur, semperq; hæc forma seruetur: itaut vnaquæque ex Prouincijs prædictis toto integro triennio, suum Abbatem Generalem habeat, & quia Regnum Neapolis, Hetruriæ, & Genuæ pro vna tantùm Prouincia enumerantur, primo triennio, quo Abbatem Generalem ex hac Prouincia eligi continget ex partibus Hetruriæ, vel Genuæ indifferenter, alio autem triennio, Prouinciam huiusmodi post electionem, ex alijs quatuor Prouincijs prædictis faciendam tangente, ex Neapolis Regno Abbas Generalis eligatur. Quod si durante aliquo triennio Abbatis Generalis cuiusuis Prouinciæ officium per cessum, vel decessum, aut aliàs quouis modo cesset, ille, qui ex Visitatoribus fuerit maior, qui scilicet Abbas Generalis aliàs extiterit, sin autē inter Visitatores nullus aliàs extiterit Abbas Generalis túnc antiquior habitu, & professione, etiamsi sit alterius Prouinciæ statim officio Vicarij Generalis vsque ad proximam indè habendam dietam, seù proximum Capitulum generale fungatur; & deinde in sequenti proxima dieta, seù Capitulo Abbas Generalis vsque ad finem integri triennij prædicti, & non vltra eiusdem Prouinciæ, cuius Generalis antecessor extiterat per eos, qui in dieta, seù Capitulo generali suffragium habere consueuerunt, eligatur die Sabbathi immediatè antecedenti Dominicam, in qua Capitulum initium sumit, sicq; electus officium huiusmodi Abbatis

Gene-

Generalis, etiamsi vnica tantùm die in officio permanserit, omnibus, & singulis priuilegijs, indultis, exemptionibus, præeminentijs, prærogatiuis, & antelationibus gaudere debeat, ac si integro triennio officium Abbatis Generalis exercuisset. Procurator autem Generalis ex illa Prouincia, ex qua immediatus Abbas Generalis deficiens extiterat, adeò vt nullo vnquam tempore Abbas, & Procurator Generales ex eadem Prouincia sint, eligatur. Quia verò Procurator Generalis Monasterij Sanctæ Mariæ de Pace de dicta Vrbe, quod inter alia Prouinciæ Ecclesiasticæ Monasteria annumeratur Abbas esse solet, ne dicta Prouincia Ecclesiastica, ex hoc aliquod detrimentum patiatur; volumus quòd Prouincia illa, ex qua Procurator Generalis eligi debet, Monasterium suæ Prouinciæ Monasterio Sanctæ Mariæ de Pace huiusmodi æquiualens, eidem Prouinciæ Ecclesiasticæ assignare teneatur, aliòquin Prouincia huiusmodi simile Monasterium quouis prætextu dare, seù assignare recusante, seù etiam nequeunte, Capitulum generale, seù Diffinitores, aut alij, ad quos electio Procuratoris Generalis spectat, Procuratorem Generalem ex alia Prouincia Monasterium, vt præfertur, assignãte, nullò distinctionis huiusmodi habito discrimine arbitrio dilecti filij nostri Iacobi tituli Sancti Georgij in Velabro Presbyteri Cardinalis Serræ nũcupati moderni, & pro tempore existẽtis apud nos, & Sedem Apostolicam eiusdem Congregationis Protectoris, dummodo tamen non sit ex eadem

Pro-

Prouincia, ex qua Abbas Generalis pro illo triennio extiterit pro ea vice dumtaxat eligere posſit. Finito verò triennio, ordo Prouinciarum huiuſmodi in priſtinum ſtatum reducatur perinde, ac ſi illa Prouincia ſuum Procuratorem Generalem habuiſſet. Decedente autem Procuratore Generali huiuſmodi, aut eius officio quouis modo ceſſante, antequā ſuum triennium compleuerit, alius ex eademmet Prouincia ad complendum dictum triennium in Procuratorem Generalem eligatur, prout de Abbate Generali dictum fuit, & quouſque dicta electio celebretur, Viſitator dictæ Prouinciæ Procuratoris Generalis officium, vſque ad proximam inde habēdam dietam exerceat. Prælati autem, & Superiores dictæ Congregationis in Capitulis, ſeù Dietis Generalibus, prout eorum triennium expirare contigerit per Abbatem Generalem, & alios octo Diffinitores eligantur; ſi autem durante eorum triennio aliquis eorum decedat, ſeù eius officiū quouis modo ceſſet, Abbas Generalis in eius locum Vicarium, ſeù eius Locumtenentem, qui officio Prælati, ſeù Superioris huiuſmodi vſque ad Dietam, ſeù Capitulū ex tunc proximè habendum fungatur, conſtituere poſsit, & deindè in Dieta, ſeù Capitulo huiuſmodi alius Prælatus, ſeù Superior in locum Anteceſſoris per Abbatem Generalem, & Diffinitores prædictos eligatur, electioq; huiuſmodi in Dietis, ſeù Capitulis Generalibus, vnà cum aliorum Prælatorum, ſeù Superiorum electionibus fiat; poſtremò omnes tàm Abbatis, & Procuratoris Generalium, quàm

Viſi-

Visitatorum, Diffinitorum, ac Superiorum omniũ & aliorum quorumcunque, qui ad gradus, dignitates, & officia promouentur; necnon sociorum Capitularium, tàm in Capitulis, & Dietis Generalibus, quàm in Capitulis particularibus, alijsq; Congregationibus, in quibus electiones huiusmodi fieri solent, canonicè fiant, & nemo verè electus, neque electio de eius persona facta valida censeatur, nisi duæ ex tribus votorum ipsorum eligentium partes interueniant, aliàs irritæ sint, & ad secundam electionem deueniatur, quòd si neque prima, neque secunda electiones huiusmodi canonicè, vt præfertur, factæ fuerint, tunc, & eo casu volumus, vt tertiò ad nouam electionem deueniatur; & ille electus censeatur, qui plura suffragia reportauerit; & si in vno tantùm cæteros superauerit, prout hactenus consueuisse asseritur, præsentesq; literas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit perpetuò, & inuiolabiliter obseruari, ac ita per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis,

& con-

& consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, eiusq; Abbati, & Procuratori Generalibus, & alijs quibusuis personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs Decretis etiam per nos, & quoscunque Rom. Pont. Prædecessores nostros in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habendis illis, aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis manu Abbatis, & Procuratoris Generalium dictæ Congregationis, subscriptis, sigillo eiusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die 25. April. 1615. Pontificatus nostri anno decimo.

Loco ✠ anuli Piscatoris.

Scipio Cobellutius.

ROMAE, Typis Reu. Cam. Apostolicæ 1629.

Superiorum Permissu.